Z.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXV
C
52
NAPOLI

V. C. 52.

JOANNIS SCHEFFERI
Argentoratenſis

GRAPHICE

Id eſt,

DE

ARTE PINGENDI

LIBER SINGULARIS.

Cum

Indice neceſſario.



NORIMBERGÆ,

EX OFFICINA ENDTERIANA

A. C. MDCLXIX.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

ILLUSTRISSIMO DOMINO
DOMINO

AXELIO

Magnorum Regni Sueciæ Cancellariorum

AXELII & ERICI

Nepoti atq; Filio

Comiti de Morea Auſtrali, Libero Baroni in Kimito & Nynæs, Domino in Fiiholm, Tidœœn, Huileſtadh, & Erichſundh. &c.&c.

Comiti Dominoq; ſuo gratioſo.

S. D.

PIngendi artem apud veteres in pretio admirationeque fuiſſe, nemo ignorare poteſt, niſi qui ignorat ab antiquis literarum beneficio ad nos transmiſſa monumenta omnia. Reges ipſi Principesq; ſummi operam in ea collocarunt plurimam, nec inferius putarunt majeſtate ſua, ſi qua manu ſceptrũ gladiumve, ea penicillum aliquando tene-

rent. Quo ſpes magna eſt, me peccaturum excuſatiùs, Comes Illuſtriſſime, ſi, quem de arte iſta ſcripſi, offeram dedicamque Tibi, libellum. Cum præſertim ea animi ingeniiq; ſis politie ac elegantia, ut afficiant Te omnia, quæ ab ingenio elegantiaq; commendantur. Inter quæ non profectò locũ tenet ultimum ars memorata notis, quando quicquid eſt ingenioſum, quicquid pulchrum venuſtumq; copioſiſſimè in ea concurrere conſuevit. Intelligunt & rudiores, hisq; virtutibus in tabula elucentibus miris modis capiuntur. Multò verò magis hoc accidere conſuevit doctis oculis, artisq; uſu ac peritia politis: quos non niſi ægrè à conſpectu operis probè adornati, etiam poſt longas moras abſtraxeris. Adeò inveniunt & magna, & multiplicia, quæ in eo conſiderent, ament, atque admirentur. Quanquam verò nullam ego tabulam hic offeram conſpiciendam Tibi, Comes Illuſtriſſime, tamen cum ſit major ejus, ſicut dixi, voluptas, qui eruditis eam aliquam contemplatur oculis, quàm qui rudioribus, præſens verò libellus erudire illos, artis regulis propoſitis, ſuſcepit, ipſe quoque non injucundus Tibi futurus eſſe videtur. Accedit gratia ſingularis Tua favorq;, quo pridem me meaque dignatus es complecti,

cti, ut vel hoc unico ſoloq; nomine probaturum Tibi me confidam conſilium, ex animi, ob ſingularem hanc benevolentiam, jure Tibi addictiſſimi devotione profectum. Quare, ſicut ſpero, non offendet Te hæc mea vel ſimplicitas, vel ſi ita mavis, confidentia temeritasve; ſed extare patieris publicè hoc quamvis leve monumentum & illius bonitatis Tuæ erga me, & meæ erga Te viciſſim obſervantiæ pietatisq;. Deus, qui Te cunctis animi ingeniiq; dotibus ad, ſi non ſuperanda, quod conditio humana, cujus culmen occuparunt, vix permittere videtur, æquanda certè majorum Tuorum veſtigia copioſiſſimè inſtruxit, porrò ſervet Te, corporisq; viribus ſic firmet roboretq;, ut quem polliceris, eum ſuo tempore Regi, Patriæ, Familiæ Tuæ, bonis omnibus poſtremò præſtes virum. Sic habebit Suecia Axelium alterum, cujus glorietur meritis, orbis univerſus verò, cujus prudentiam & virtutes cum ſtupore admiretur celebretque, vale.

Scr. Upſaliæ. a. d. 21. Mart.
An. M DC LXIX.

Illuſtriſſimo nomini Tuo
ſummo cultu atq; obſervantia
addictus

Joannes Schefferus
Argentoratenſis.

LECTORI BENIVOLO, S.

UT opuſculum hoc ſcriberem, plurima me impulerunt. Initio ars ipſa, inde à prima pueritia inſtinctu naturæ ſolius amata mihi plurimum, & exercita. Dein tempus, quod in ea collocavi non profectò minus, ſi non majus, quàm in litteris; cujus proinde aliqua reddenda mihi ratio videbatur. Fieri hoc autem poſſe difficulter apparebat, niſi proditis nonnullis, quæ longo uſu & experientia à me ipſo eſſent cognita exploratàq;. Accedebat huc, quod viderem de pingendi arte ſcribere, qui peritiam illius nullam, vel exiguam haberent; ac ſic tradere non pauca uſui artique adverſa. Ex illis ipſis quoque, qui ſcientia illius gloriantur, non convenire omnes in omnibus. Adde, quod non pauca omittant, ſcitu neceſſaria, qui de ea ſcribunt; quod ad ſpeculationes aliqui, doctas quidem, ſed ad artem parum facientes delabantur. Quo reſpectu & Franciſci Junii, viri longè celeberrimi doctiſſimiq; opera, philoſopho utilior, quàm pictori, forſan judicari poteſt. Neque aliter quis cenſeat de opuſculo τȣ̃ πάνυ, Jo. Ger. Voſſii, quoniam deſumptus totus ferè, quantus eſt, ex Junii eſt opere, ordine tantum immutato & accommodato ad auctoris inſtitutum. Scilicet vir ſummus, quod elaboratum ante deprehenderat, ſicut factum ab ipſo obſervamus & in aliis non paucis, annotandum ſibi putavit, ut deinde, quod deeſſet, occaſionibus ſuppleret idoneis. Sed præventus morte, conſilium exequi, quod propoſuerat, non potuit. Neque ſcio ſatis, an ubique idem evitarit feliciter De-

mon-

montioſius, quo de loquimur, pictor licet ac exercitus in arte. Noſtrum aliud fuit inſtitutum, in quo num à recto aberratum ſit à nobis, alii diſpicient. Certè veteres feciſſe aliter non videntur, qui de arte hac ſcripſere, quales Uris, Melanthius, Apelles, atque alii, alibi à nobis memorati. Atq; quoniam perinde hic, uti in aliis noſtris, ductum ſequi veterum arbitrati ſumus optimum tutiſſimumque, idcircò quæ de ipſis annotata invenimus, diligenter adduximus, ſententiamque noſtram teſtimoniis exemplisq; ipſorum confirmavimus. Simul quæ ad initia hujus artis attinent incrementaq;, ex hiſtoriis ſua quæq; loco ſtudioſe conſignavimus. Dedimus poſtremò operam, ut ſi qua obſcura vel in vocabulis hujus artis vel in aliis apud veteres occurrerent, ea illuſtraremus, aliquando & corrupta emendaremus: atq; ita non ſolùm artis ſtudioſis, ſed & litterarum amatoribus utilitatem afferre aliquam adlaboravimus. Equidem propoſitum hoc fuit noſtrum, atq; juxta, quantum potis eſſet, omnia exponeremus lucidiſſimè, ſine ulla verborum pompa vel prolixitate. Propoſiti verò hujus aſſecutos ſcopum quoq; nos, haud auſimus ſane polliceri. Erunt tamen, ſpero, qui hoc concitati exemplo, afferent plus ingenii induſtriæque, artemque toti generi humano gratam maximè ac amabilem, nec non neceſſariam ſubinde atq; utilem abſolvent. Cæterum hoc opuſculum quisquis leges, te debere ſcias non tam mihi, quam qui edendum id ſuſcepit, viro plurimum Reverendo, multiplicique eruditionis genere, ac ſcriptorum publicatorum elegantia clariſſimo Dn. Christophoro Arnoldo, *amico noſtro ſingulari. Qui cum edoctus eſſet neſcio à*

quibus

quibus, confectum pridem id habere nos, ac pro humanitate ſua ſumma ad edendum hortaretur, nos verò typographi, quem hic habemus unicum, obtenderemus occupatum aliis rebus prælum, ultrò amiciſſimam ſuam obtulit operam, & publicationem ejus in ſe recepit. Sine qua viri longè humaniſſimi & ad juvādas litteras promptiſſimi ſedulitate jaceret forſan cum non paucis aliis neglectum hodieq; inter chartas noſtras hoc opuſculum. Sed nec nos non ei plurimum debemus pro egregio iſthoc officio, majoraque debituros, ut eſt vir ad talia facillimus, in poſterum quoque ſpe certiſſima nobis juxta atque aliis pollicemur. Cum habeamus haud pauca, circumſpicientia manus obſtetrices alicujus iſtusmodi, per quem prodire in publicum decore nitideque queant. Quales planè ENDTERIANAS *eſſe, pridem ex non paucis feliciter de officina iſta prolatis pulcherrimè cognovimus. Vale.*

JOAN-

JOHANNIS SCHEFFERI
Argentoratenſis

GRAPHICE,

Id eſt,

DE PINGENDI ARTE

LIBER SINGULARIS.

§. 1. *Pictoria ſic à pingendo dicitur. Eſt autem pingere Latinis figuram ſeu effigiem alicujus rei lineis formare.*

GRæci γράφειν vocant. An, quod primi antiquiſſimiq; artis hujus conditores opera ſua facerent in tabulis ceratis, ſtylo ferreo, ſic ut formari literæ ſolebant? Eſt certe γράφειν propriè, ſulcos quaſi ducere in quacunq; materia, ut vult natio Grammaticorum. Neq; aliundè apud Germanos meos verbum *graben*, quod cum Græco illo literis

& ſono convenit. Ezechiel profectò antiquiſſimus Propheta, quiq; diu floruit ante Cyri tempora & Regnum Perſicum, videtur ſic pinxiſſe. Saltem Deus ipſe ad eum, ut eſt libri ejus 4. capite: *Sume tibi laterem, & pones eum coram te, & deſcribes in eo civitatem Hieruſalem.* Quòd *deſcribere* nominat, eſt ſtylo ferreo in latere lineis & ſulcis ductis exprimere, hoc eſt pingere. *Scribere* ſimpliciter hoc ſenſu, ac fortaſſis hac ex cauſa quoq;, dixit Plinius, ut ex libri ejus XXXV. cap. decimo notamus. Sed & Statius Sylv.

Apelleæ cuperent te ſcribere ceræ.

Equidem Caſtalio in verſione dicti Ezechielis loci verbum *ſculpere* uſurpat. Sed haud dubiè nil aliud prophetæ verbis indicatur, quám quod dixi. Nam & Græcis: Διαγράψας εἰς αὐτὴν πόλιν τὴν Ἱερουσαλήμ, quod planè id ſignificat. Latinum undè ortum nomen ſit, haud liquet. Putat quidem Iſidorus, eſſe idem, atq; *fingere*, ac ex eodem provenire fonte. Ita namquè ſcribit lib. XIX. c. 16: *Pictura dicta, quaſi fictura, eſt enim imago ficta, non veritas.* Sed exiſtimo hoc eſſe ſimile plerisq; aliis Grammatici illius. Nec fortaſſe melius, quod legimus apud Goropium in Hermat. lib. VII. ubi ducit à Germano

manopin, hoc eſt eo, quod eſt cuſpidatum. *Pin*, inquit, *Pingo dedit Latinis, à pint, hoc eſt, pinna utor, vel rimam concinno, eò quod pictores & pinnis utantur, & eos continuò in acumen concinnent.* Equidem & in Gloſſis Iſidori leges, *perinum, bis acutum*, & Suecis *Pinna* eſt ex ligno tereti ferróve aliquid in mucronem deſinens, velut clavus, quali veteres in pingendo uſos inſtrumento antè demonſtravimus. Sed non puto convenire rationi, ut ab inſtrumentis, artis derivetur nomen, quando nulla, quæ non prior ipſis ſit, inſtrumentaq; tum excogitentur, cum ars debet exerceri. Quare in id potiùs inclino, ut quemadmodum Latina pleraq;, ortum putem ab Æolico, quod hodiè haud ſatis notum. Niſi quis exiſtimet, deſcendere ab antiquo *πίνω, ſtudiosè facio, aut elaboro.* Certè ſtudium hæc ars requirit magnum! & ποιεῖν Polluci, quod à πίνω venit, ſingulariter de picturis uſur patur. Saltem quoniam hæc ars à Græcis ad Latinos lata, nomen ejus aliundè, quàm ex Græco, non videtur derivandum. Cæterum à γράφειν, quod pro *pingere* uſurpant Græci, γραφικὴ ars ipſa dicta eſt. Socrates apud Xenophontem III. Apomn. γραφική ἐστιν εἰκασία τῶν ὁρωμένων. At-

que ita paſſim videas aqud Græcos: Latini nominant *pictoriam*. Ita reperimus in antiquis Gloſſis, *Pictoria*, ζωγραφικὴ. Frequentius meliusq; tamen eſt *pictura*. Plinius lib. XXXV. c. 1: *Dicamus quæ reſtant de pictura, arte quondam nobili*. Petronius: *Cœpi cauſam excutere, quare pulcherrimæ artes periiſſent, inter quas pictura ne minimum quidem ſui veſtigium reliquiſſet*. Atq; ita alij. Quamquam cum pictura ſignet quoq; tabulam imaginemvè pictam, ne exiſtat error aliquis, picturiæ vocabulum ad expreſſionem artis uſurpare maluerimus. Germanis *mahlerej*, & *mahlen* eſt, à *mahl*, quod *ſignum* denotat. Ita ex compoſitis illius *denckmahl*, *muttermahl*, apparet, quorum iſtud *ſignum memoriæ*, hoc *navum maculamve* in ipſo utero impoſitam indigitat. Neq; aliter â Suecis uſurpatur, qui propterea ſermonem *tungmahl* appellant, quaſi *linguæ ſignum* diceres, quia eo ſenſa mentis animiq; exponuntur. Sicut ergò ſermo indicium ſignumq; eorum, quæ ſentimus animo; ſic plane pictura eorum, quæ contuemur oculis. Atque ita verbum *mahlen* ortum, pro quo quidam *zeichnen*, ex eadem cauſa uſurpant. Nam & hoc à *zeichen* derivatur, quod Latinis *ſignum* denotat.

Belgæ

Belgæ *ſchildern* nuncupare ſolent, forſitan â *ſchild*, ſeu clypeo ſcutovè, quia clypeos vetuſtiſſimi eorum coloribus ornabant. Quomodo & apud Græcos veteres fuiſſe uſitatum novimus ex Plinio, & loco alio uberiùs oſtendemus.

§. 2. Qui ergo benè pingunt, pictores & pictoriæ periti appellantur. Quæ pictoria nil aliud, quàm ars, ſimilitudinem cujusq; rei lineis in plano coloratis exprimendi, ſicut iu eodem veſtigio ſtantis oculo comprehendi poteſt.

Artem, neque ſine cauſa nominamus, quando quicquid tandem hujus tituli meretur honorem, id omne abunde in pictoria invenimus. Neque aliter appellarunt veteres, Plato, Xenophon, Ariſtoteles, & cæteri. Pollux denique lib. VII. c. 28: *καὶ μὲν ἡ γραφικὴ τέχνη, μία τῶν ἐν κόσμῳ τεχνῶν.* Ubi peſſimè Interpres: *Inſuper & ſcribendi ars una ex mundi artium habetur.* Nam ut interim omittam illud, *ex artium*, præcipitantia quadam, ſicut evenire ſolet etiam præſtantisſimis viris, elapſum, ipſa capitis

inſcriptio, quæ eſt ζωγϱάφων ἔϱγα, poterat docere illum, agi hîc, non de ſcribendi, ſed pingendi arte, ut ſic vetere debuerit: *Etiam pictoria, una eſt in orbe artium.* Artem nuncuparunt & Latini. Plinius profectò *artem nobilem*, Arbiter, *pulcherimam* vocavit, ut apparet ex ſuperioribus. Similia videas apud Fabium lib. II. c. 15. Atque quoniam eſt ars, pictoria, iccircò & magiſter ejus Polluci dicitur τεχνίτης. Et apud Senecam *artificis* vocabulum ſimpliciter pro pictore legitur. *Artifici*, ait Ep. 9. *jucundius eſt pingere, quàm pinxiſſe.* Sic Plinius lib. XXXV. c. 10: *Nulla gloria artificium, niſi eorum, qui tabulas pinxere.* Proprium autem artis hujus eſt, rerum exhibere ſimilitudinem in plano. Qua in re diverſa eſt ab artibus ſimilibus, quæ & ipſæ rerum exhibere ſimilitudines, ſed craſſas, & corporeas, ut ita dicam, ſolent, easque ſive plenas ac perfectas â fronte pariter ac tergo, velut *Statuaria*, *Plaſtice*, *Fuſoria*; vel tantùm ex dimidio, rurſumque vel exſtantes, ut *Scalptoria*, vel impreſſas cavaſque, ut *Sculptoria calatoriave.* Similitudinem porrò eam exprimit delineatione quadam per colorem. In quo differt ab iis, quæ per ſpecula imagines rerum repræſentant, vel recipi-

recipiendo eas, ſicut fit in ſpeculis vulgaribus, vel tranſmittendo in parietes ut chartas, ſicut fit in ſpeculis dioptricis, iis maximè, quibus in conclavi, lumine omni velorum objectu, valvarumve, orbato, radiorum ſolarium beneficio, per anguſtum foramen miſſæ rerum ſpecies in oppoſita charta demonſtrantur. Nam iſtæ ſimilitudines imaginesvè apparentes tantùm ſunt, fiuntque per repreſentationem aliquam tranſitoriam ac momentaneam propemodùm. At pictoria ſuas chartis tabuliſvè imagines infigit, opereque durabili ad quoſcunque, poſteros etiam, transmittit. Quam ad rem uſurpat lineas, non fictitias & ſimulatas, verùm tabulis inſcriptas cum coloribus, uno pluribuſvè, pro diverſitate picturæ. Sunt enim lineæ propriæ in picturis omnibus, ſignificantq; ductus quoslibet, ſive plumbo, ſive creta calamove, ſive penicillo factos. Fabius lib. XI. c. 3: *Qui ſingulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt, ſine quo ne membris quidem ſuas lineas dediſſent.* Habes lineas membrorum ex uno colore. Idem teſtis eſt de pluribus. Huc enim pertinet, quod habet lib. XII. c. 10: *Zeuxes luminum umbrarumq; inveniſſe*

rationem, Parrhaſius examinaſſe ſubtiliùs lineas traditur. Pinxit Parrhaſius non uno, verùm pluribus coloribus. Itaque examen linearum hîc de lineis multipliciter coloratis eſt accipiendum. Ex eadem cauſâ *primæ lineæ* in picturis appellantur, quibus imago ſuperficialiter deſcribitur, & inſtitutum pictoris proponitur. Fabius lib. IV. c. 2: *Non conſummantur affectus, ſed tamen velut primis lineis deſignantur, ut planè, qualis futura ſit imago rei, ſtatim appareat.* Turnebus exponit hoc in loco primas lineas μονόγραμμον, non ſatis aptè. Nam *monogrammon* de perfecta ſui generis uſurpari ſolet pictura, qualem edebant primi pictores, & Latini aliàs vocabant *linearem.* At *primæ lineæ* initium picturæ denotant, undè quoque *primæ* appellantur. Idem Fabius lib. II. c. 6: *Alij cum primas modò lineas duxiſſent, poſt declamationes, quid omiſiſſent, quisq; tractabant.* Vult, illas primas lineas poſtea elaboraſſe aliis, & ad pictorum inſtar, orationis integram abſolviſſe imaginem. Primis iſtis lineis oppoſita eſt *linea ultima*, qua opus perficitur aut deducitur ad finem. Hujus reſpectu Horatius. lib. 7. 16.

—— *Mors ultima linea rerum eſt.*

Sed

Sed *omnibus lineis abſoluta* uſurpari de perfectis, viri doctiſſimi obſervarunt. Ab his lineis eſt *lineare* verbum, quod in Apulejo putant ſcribendum lib. X. ubi vulgò legitur: *Tenui pallio bombycino inumbrabat ſpectabilem pubem, quam quidem curioſulus ventulus ſatis amanter laſciviens reflabat, ut dimota, pareret flos ætatulæ; nunc luxurians aſpirabat, ut adhærens preſſulè membrorum voluptatem graphicè laciniaret.* Hic pro *graphicè laciniaret*, malunt *graphicè liniaret*. Equidem *liniare* Plautus quoque dixit, licet ſenſu non nihil diverſo. Verum quoniam in libris veteribus *liciniaret* legitur, ut eſt auctor Pricæus, ego *diliniaret* mallem. Plinius lib. XXXVI. c. 10: *Arrepto carbone extincto à foculo imaginem in pariete delineavit.* Interea ab illo *liniare* nomen habemus *liniamentum* ſive *lineamentum*, quod ſignificat expreſſionem rei per colores lineasq; ſuas. Quomodo valer. Maxim. uſurpat lib. V. c. 4: *Hærent ac ſtupent, cum hujus facti pictam imaginem vident. In illis mutis lineamentis membrorum viva ac ſpirantia corpora intueri credentes.* Sunt hic lineamenta membrorum in jam picta imagine, unde liquet id, quod dixi. Atque hic & Caſſiodorus de Divin. lection. c. 5:

 Taber-

Tabernaculum, templum Domini ad inſtar cæli firmatum, depicta ſubtiliter lineamentis propriis Latino competenter aptavi. Non poſſunt lineamenta depicta hic intelligi aliter, quàm de abſolutis imaginibus. Quod notamus, quia ſunt, qui ea non accipiunt, niſi de primis ductibus in tabula, quum illi ſolis ſimblicibusque fieri lineis conſueverint. Sed ut dixi, lineæ ſunt ductus omnes, qui quocumque fiunt modo. Hinc lineamenta, quæ ex lineis, id eſt, integræ expreſſiones corporum, integræ picturæ. Pro *lineare* frequentius eſt *lineas ducere*. Sic enim ſuprà Fabius, *cum primas modò lineas duxiſſent*, & Plin. lib. XXXV. c. 10: *Apelli fuit perpetua conſuetudo, nunquam tam occupatam diem agendi, ut non lineam ducendo exerceret artem.* Atq; ita Græci quoq;. Unde Pollux inter opera pictorum memorat γραμμὴν ἑλκύσαι. lib. VII. c. 28. Obſervandum autem, quod imago, quæ per lineas ejuſmodi formatur, non ſit, ſaltem eſſe ritè nequeat, niſi uniuſmodi, nimirum prout res ſe offert oculo immobili adſpectantis eam in veſtigio eodem. Nam cùm rerum ſpecies mutentur, evadantque aliæ ac aliæ, prout vertuntur oculi, & vel in hac, vel in illa earum deſigun-

guntur parte, in dextra inquam, ſiniſtravè, in medio aut ſummo; itemque ut conſiſtitur, vel ab earum fronte, vel à tergo, fieri profectò nequit, ut in pictura una eademque omnes iſtæ exprimantur variationes. Imò penitùs adverſum eſt naturæ, ſi res eadem ab una parte referatur, veluti ſpectetur à dextra, in alia, veluti ſpectetur à ſiniſtra. Unde ſequitur, neceſſum eſſe, uti certus quidam oculis ſtatuiq; figatur terminus, ad cujus ſitum omnes picturæ partes referantur. Aliàs verè perfecteque nunquam referet (quod tamen eſt propoſitum huic arti) ſpeciem earum, atque habitum naturalem.

§. 3. *Inventa eſt hæc ars in oriente à Chaldæis ac Ægyptiis, atq; inde lata reliquas ad gentes.*

De Chaldæis veriſimile fit Taræ, parentis Abrahami, exemplo, quem ſtatuarium fuiſſe, præter Euſebium in Chronicis, tradit Epiphanius lib. 1. adv. Hæreſ. cap. 1. Nec enim fieri potuiſſe videtur, ut ars iſta vel inveniretur, vel exerceretur, abſque aliqua, quacunque denique notitia picturæ. Quin imò apertè Epiphanius, de initiis idola-

Iolatriæ loquens: οὔπω δ' ἐν ξοάνοις καὶ ἐν τορείαις λίθων, ἢ ξύλων, ἢ ἀργυρωτεύκτων, ἢ χρυσοῦ, ἢ ἑνὸς ἄλλης ὕλης πεποιημένων, μόνον δὲ διὰ χρωμάτων καὶ εἰκόνων ἡ τοῦ ἀνθρώπου διάνοια ἐφ' ἑαυτῇ εὕρισκε τὴν κακίαν. *Non in ſtatuis & ſculpturis lapidum, lignorum, argenti aurivè, aut alterius materiæ, ſed ſolummodò per imagines pictas mens humana à ſe ipſa malum hoc invenit.* Quibus verbis picturam ſtatuaria antiquiorem facere Scaliger quoq; obſervavit. Quia ergò pater Abrahami fuit ſtatuarius, picturæ aliquam habuiſſe notitiam neceſſe eſt, quam proinde tenuiſſe atque coluiſſe Chaldeos, quorum incola civisq; fuit, rectiſſimè colligimus. Nec vetuſtior illius mentio, quippè quæ in annum ducenteſimum quinquageſimumq; circiter poſt diluvium conveniat. De Ægyptiis teſtatur Plinius lib. XXXVIII. c.9: *Picturam*, inquit, *Ægyptij ſex millibus annorum apud ipſos inventam, priusquam in Græciam tranſiret, adfirmant.* Idem lib. VII. c.56. nominat *Gygem* quendam *Lydium*, à quo excogitata in Ægypto fuerit. Sed ſi Gyges ille fuit Lydius, qua cauſa venerit in Ægyptum, nec in patria prius ſua, quàm terra peregrina eam exercuerit, ego ſanè minimè diſpicio. Equidem & Gyges

Lydius

Lydius Herodoto, & Ciceroni; & Juſtino memoratur, verùm multò is recentior, quàm ut conveniat in illa Pliniani Gygis tempora; cùm hic fuerit æqualis Candauli, qui vixit olympiadem circa decimam & ſextam, hoc eſt, ſeculis non ampliùs duobus ante tempora Solonis. Itaq; hoc quidem Gygis nomen mihi ſemper apud Plinium ſuſpectum fuit; cùm præſertim in codicibus aliquibus pro eo *Cygnes Lyctius* inveniatur. Quicquid verò ſit, liquere de Ægyptiis ex eo quoq; poteſt, quia inde omnis Idololatria provenit, cum qua ſimul ortam & pictoriam Hermes Triſmegiſtus fatetur, quando ait in Aſclepio; *humanitatem memorem naturæ & originis ſuæ, Deos ex ſui vultus ſimilitudine figuraſſe.* Ægyptiorum ſanè conditor eſt Chamus, autor omnis inter homines poſt diluvium ſuperſtitionis. At idolorum cultum non in ſtatuis initiò, ſed per imagines pictas inſtitutum, ſuprà etiam Epiphanius docuerat. Quo cum convenit, quod de ortu ejus vitij opuſculo de Dea Syria prodit Lucianus. Adjice, quod & ſcribendi ratio apud Ægyptios alia non fuerit temporibus antiquis; quàm per imagines &

pictu-

picturas. Qua de re videri poſſunt, quæ poſt Valerium Pierianum, copiosè retulit in Obeliſco vir doctiſſim⁹ ingenioſſimusq;, Athanaſius Kircherus. Ergò antiquisſimi primiq;, ut opinor, artis hujus magiſtri Ægyptij Chaldæivè fuere. Inde ad Phænices, & ab his ad Græcos eſt translata. Inter quos Ardicen quendam aliqui Corinthi primum, alij Thelephanem in Sicioniis exercuiſſe tradunt, Plinio lib. XXXV. c. 3: autore. Sunt, qui, ſicut artes reliquas, ſic hanc acceptam referant Athenienſibus. De quo verba extant veteris autoris apud Photium in vita Pythagoræ, iſtoc ſenſu: *Athenienſes rei bellicæ & pictoriæ primi inventores extitere, & omnis artis mechanicæ.* Atq; neſcio an aliud reſpexerit volueritq; Plutarchus, quando in libello, cujus titulus, *bellone an pace clariores fuerint Athenienſes*, ita ſcripſit: *Non minimum ab hac urbe* (*Athenarum*) *ars pingendi profecta eſt.* Cæterum ab his aut aliis aliquibus ex Græcia in Italiam eſt tranſlata. Inde tranſiit in Gallias Germaniasq;, & vicinas orbis partes alias, ut nunc vix inveniatur populus, qui non aliquam notitiam illius habeat.

§. 4. Fi-

§. 4. *Finis ejus eſt pictura, quam imaginem vocamus, rem artifici propoſitam, exactè referentem in plano.*

Nempe ſicut artes reliquæ, quando præter actionem certum aliquod & ſeparatum produnt opus, in illo ipſo opere, velut fine ſuo acquieſcunt; figulina, ut exemplo rem exponam, in dolio, ſutoria in calceo, ſic prorſus & pictoria finitur in pictura. Cæterum pictura non eſt, niſi rem, ut cernitur, exhibeat. Unde Socrates ad Parrhaſium apud Xenophontem in Memorab. *Pictura earum rerum eſt aſſimilatio, quæ cernuntur.* Definit eam paulò aliter Vitruvius lib. VII. c. 5: *Pictura*, inquit, *eſt imago ejus, quod eſt, ſeu poteſt eſſe.* Vult, imaginem referre, non exiſtentis nuſquam rei, ſed quæ exiſtat jam, vel extiterit olim, vel exiſtere aliquando poſſit. Quo cum convenit, quod habet Philoſtratus in icone Narciſſi: *Pictura veritatem colit.* Ubi veritatem eam intelligit, quæ in ipſa rerum eſt natura, cujus unius exemplum ars pictoria ſibi proponit ſequendum. Quo igitur Pictura quæq; longiùs recedit à natura, hoc recedit longiùs à fine artis, atq; adeò & arte ipſa, quæ eſt nulla, ubi finem ſuum non

nonconſequitur. Dicat quiſpiam, & hodiè laudari opera pictorum, celebrataq; eſſe apud veteres, earum rerum argumenta continentia, quæ nec fuerunt umquam, nec futura ſunt. Hujuſmodi centaurus fœmina, uberibus puellum admovens, cujus inter tabulas & opera antiqua ſummam Plinius apud veteres fuiſſe ſcribit admirationem. Sed notandum, non hanc intelligere nos oportere veritatem, quæ oppoſita ſit fabulis; ſic enim nec Pegaſi, nec Meduſæ, nec Atlantis, Cerberivè, aut ſimilium ullo modo laudem mererentur picturæ; verùm eam, quæ naturæ rerum adverſatur. Puta, cùm quis equum depicturus pedes collocet in tergo, oculos in clunibus; vel cum in ipſis partibus id repræſentet, quod natura non permittit. Ut, ſi pedes bovis formet ungulis ſolidis, aut equi ex adverſo biſulcis: ſi feli leporivè caput tribuat oblongum, aſino aut cervo rotundum. Quod ſi quis in cunctis partibus id exprimit, quod natura requirit, licet illas deinde inter ſe componat, quas ipſa non conſuevit, arti ſatis fecit. Nec immeritò laudatus eſt Centauri pictor, quia ubi hominis repræſentare voluit partes, convenienter naturæ humanæ, ubi equi,

qui, equinæ delineavit, atq; ita in his omnibus ſecutus veritatem eſt, quam oſtendimus velut ſpiritum picturam omnem animare. Jam quoniam pictura veritatem ſequi debet, ideò pro ea Latini uſurparunt *imaginem*, ſicq; apellarunt, quicquid à pictore pingeretur. Cicero de Invent. II. *Ut excellentem muliebris formæ pulchritudinem muta in ſeſe imago contineret, Helenæ ſe pingere ſimulacrum velle dixit.* Loquitur de Zeuxide, qui pinxit Helenam nunquam à ſe viſam, nec ad exemplum unum, verum multiplex ex diverſis puellis captum, qualis neq; extitit, nec exiſtere ulla unquam potuit, & tamen *imaginem* illius ait Tullius pinxiſſe. Ita Græci uſurparunt εικόνα. Pollux de pictoris opere loquens: καὶ μὴν εικόνα εἴποις ἂν τὸ πρᾶγμα, καὶ εἰπασίαν. &c. Sic εικόνα Sextus Philoſophus appellat equum ſpumantem ab Apelle pictum ex ingenio.

§. 5. Uſus eſt ampliſſimus: Nam omnia ſeu artis ſeu naturæ opera oſtendit, oculisq; ſubiicit, quantumvis longè ſint remota. Hiſtoriam illuſtrat ſervatq; ad poſteritatem. Ritus ex-

ponit veteres, aliaq́ reddit clara, quæ oratio non poteſt. Memoriam quoq́ juvat, format mores, corpusq́. Animum vehementer movet. Ornat omnia, facitq́ conſpectiora. Delectationem affert. Nominis poſtremò dat æternitatem.

Primum patet ex delineatione univerſi, animalium item, arborum, plantarum, quæ in orbe noſtro non reperiuntur, variorum quoq; & inſolitorum operum naturæ. Quo proinde fine & pictoriæ peritiam in peregrinaturo prudentiſſimus quisq; requiſivit. De cuſtodia geſtarum rerum pariter eſt notum, & laudantur infinita opera, veterib⁹ in publico præſertim ſolita proponi. Memorat Diodorus Siculus in Oſimanduæ, antiquisſimi Ægyptiorum regis monumento, διαπρεπεῖς γραφὰς, δι' ὧν δηλοῦσθαι βουθυσίας τοῦ βασιλέως, καὶ θρίαμβον ἀπὸ τοῦ πολέμου καταγόμενον. *Picturas inſignes, quibus victima Regis, & triumphus in bello actus exprimuntur.* Ita in Pœcele porticu Athenienſium trecenti Lacones cum Rege ſuo contra Perſas dimicantes, Athenienſium item acies in Oenõe adverſus

verſus Lacedemonios, prælium q; eorundem cum Amazonibus Theſeo duce, aliaquè id genus picta fuiſſe legimus; videturq; ea porticus ſolennis quaſi ad hæc locus habita, unde & *Pœcele*, quaſi variam pictamq; diceres, vocata eſt. Ad eundem modum Græci alii res à ſuis præclarè geſtas per picturas ad poſteritatem propagare conſueverunt, qua de re Pauſanias videndus eſt, per opus propè univerſum. Etiam de Attalo Rege annotatum, quòd pugnam adverſus Gallos victoriamq; ſuam in tabula delineatam publicè propoſuerit. Nec Romani hanc conſuetudinem ignoravere, cœptam ut exiſtumo, à Valerio Meſſalla, de quo Plin. lib. XXXV. c. 4: *Dignatio picturæ præcipua Romæ increvit à Mar. Valer. Max. Meſſalla, qui princeps tabulam picturæ prælij, quo Carthaginenſes & Hieronem in Sicilia devicerat, propoſuit in latere curiæ Hoſtiliæ.* Certè poſtea quoq; pictam victoriam Aſiaticam Scipio ſic poſuit in Capitolio, alij, aliis locis, ut eſt idem autor. Sed & Maximinus ita fecit, de quo autor eſt Capitolinus, & Herodianus: *Pugnam, ſuaque ipſius fortia facta, depicta maximis imaginibus ante curiam publicaſſe, ut non tàm audire, quæ geſta forent,*

quàm etiam ſubiicere oculis Romani poſſent. Sic Severi bello geſta in porticu depicta, & Carini ludorum magnificentiam Vopiſcus teſtatur. Quin imò notamus, conſtitutum aliquando legibus, ut res bene geſtæ pingerentur ejuſcemodi in locis. Et colligitur ex controverſia Calpurnij vigeſima & prima. Nempe non memoriam tantummodò ſervare, ſed & decus gloriamq; afferre hoc volebant. Quo propoſito Miltiades in Pœcele pictus. Cor. Nep. vita ejus c. 6: *Miltiadi, qui Athenas totamq; Græciam liberavit, talis honos tributus eſt in porticu, quæ Pœcele vocatur, cum pugna depingeretur Marathonia, ut in decem prætorum numero prima ejus imago poneretur.* Et Athenienſes fortium Virorum vultus in Minervæ peplo pingere inſtituerunt. Incolis Americæ Vlatom non eſt alia hiſtoria: nam res geſtas à majoribus per annos octingentos ſervant in picturis, ut Jo. de Laet de ipſis memorat in Originibus Americanis. Solebant autem non res publicè ſolùm geſtas ita conſervare ad poſteritatem, verùm etiam privatim in ſuis quisq; ædibus. Cujus rei eſt exemplum in Trimalcionis domo, de quo Petronius. *Non deſtiti totum parietem perſequi. Erat autem venalitium*

um titulis pictum, & ipſe Trimalcio capillatus caduceum tenebat, Minervaq́; ducente Romam intrabat. Hinc quemadmodum rationari didiciſſet, dein diſpenſator factus eſſet, omnia diligenter curioſus pictor cum inſcriptione reddiderat. Sic legenda verba hæc in Notis ad Dalmaticum Fragmentum demonſtravimus. Ampliùs apud Æthiopes quicquid ſcribebatur, ſic ſolebat ſcribi, ſi eſt verum, quod de ipſis refert Diodorus: *Sunt*, ait, *Æthiopum literæ, variis animantibus, extremitatibusq́; hominum, atq́; artificum præcipuè inſtrumentis perſimiles. Non enim Syllabarum compoſitione, aut litteris verba eorum exprimuntur, ſed imaginum formâ earumq́; ſignificatione uſu memoriæ hominum tradita.* Eadem Ægyptiorum conſuetudo, *qui primi per figuras animantium ſenſus mentis effingebant*, ut de iis refert Tacitus An. XI. c. 14. Deniq; in univerſum omnis hiſtoria, antiquitatis omnis explicatio hac arte multipliciter juvatur, neq; tradi commodè ritus veteres, opera, inſtrumenta ſine ipſa poſſunt. Caſſiodorus profectò de divinis Lection. c. 5: *Tabernaculum Templum Domini ad inſtar cœli formatum, depictum ſubtiliter lineamentis propriis in pandecte Latino competenter aptavi.* Nempe ita melius, quæ vellet, cre-

didit ſe illuſtraturum. Gyraldus in progymnaſmatibus, eo, quod eſt adverſus literas. *Picturis, ut audivi, & literati homines utuntur, cùm quid memoratu difficile recitandum vel deſcribendum occurit, ad quod exprimendum vel memoria, vel deſcriptio ipſa per literas non ſufficit, idq; ea de cauſa præcipuè facere exiſtimant, quòd ipſæ picturæ vel imagines clariùs & veriùs earum formas imprimant, quàm quæ per literas fiunt.* Neq; aliter cum Chymicis & Anatomicis eſt comparatum. Tradi, aut intelligi absq; aliquo picturæ beneficio vix poſſunt. Obſervarunt olim veteres & in Botanicis. Nam ut Plin. lib. XXV. c. 2, & ex eo, uti cenſeo, Lactantius tradidêre, herbarum effigies Craterus, Dionyſius, Metrodorus inſtituerunt pingere, ſuasq; ſingulis ſubjicere vires. Idem factitatum in Aſtronomia, quia ingens illa ſtellarum multitudo vix diſcerni poterat, niſi certas ad effigies relata. Id quod inter antiquiſſima inventa memoratur. Hinc laudata Archimedis Sphæra cum pictis iſtiuſmodi figuris. Martianus lib. VI: *Archimedas Siculus concavo ære ſimilitudinem ac figuram mundi, & aſtrorum figuras in illo ære pictas effictasq; machinatus eſt.* Pertinet huc tabula Trimalcionis

onis apud Arbitrum de qua ſic legitur: *Erant duæ tabulæ utroq; poſte defixæ, quarum altera habebat lunæ curſum, ſtellarumq; VII. imagines pictas, & qui dies boni, quiq; incommodi eſſent, diſtinguente bulla notabatur.* In quibus verbis, ultima, *diſtinguente bulla notabantur,* puncto debent diuidi à præcedentibus, quod miror, neminem hucusq; monuiſſe. Etiam Geographia ſic adjuta, ſicut ex Propertio lib. IV. el. 3. cognovimus, qui tabulas commemorat cum pictis regionibus, ſua etiam ætate. De memoria & adjumentis, quæ illa percipit ex hac arte, teſtatur Cicero & Quintilianus, & ex recentioribus, quotquot imaginibus quibuſdam certo modo conformatis putant inſtrui ac confirmari. Nec res planè nulla eſt, quando rudiores quidem alia ratione meliùs & citiùs in diſciplinis erudiri nequeunt, quàm per aptas venuſtasq; aliquas picturas. Obſervarunt, qui Hiſtoriam ſacram profanamq;, qui præcipua religionis Chriſtianæ capita & argumenta, qui præcepta morum, qui vitia virtutesq; imaginibus luſtranda ætati puerili commendarunt. Eſtq; hujus generis antiquiſſima pictura tabulavè ab interprete illius Cebetis vulgò dicta, quam auctor e-

jus in Saturni templo dedicaverat. Credo, ut in publico ſuſpenſa loco, frequentiusq; ſpectata, ſui quemq; meliùs officij admoneret. Videturq; non inuſitatum hoc temporibus antiquis fuiſſe, atq; ita & deinceps tranſiiſſe in templa Chriſtiana. Nam ſueviſſe Chriſtianos veteres virorum pietate inſignium, Martyrum, Apoſtolorum, effigies, & res ab eis geſtas, ceu præclara, publiceq; commendanda virtutum Exempla, ponere in templis, ſicut aliundè, ita quoq; ex Prudentio apparet, qui de Caſſiani paſſione:

—— —— —— Stetit obvia contra
Fucis colorum picta imago Martyris,
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circum pueri, miſerabile viſu
Confoſſa parvis membra figebant ſtilis,
Unde pugillares ſoliti percurrere ceras
Scholare murmur adnotantes ſcripſerant,
Æditus conſultus ait, quod conſpicis, hoſpes,
Non eſt inanis, aut anilis fabula:
Hiſtoriam pictura refert, quæ tradita libris
Veram vetuſti temporis monſtrat fidem.

Quibus verbis ſimul diſcimus, ædituorum olim hoc fuiſſe munus, ut exponerent has

has tabulas picturasve ſpectatoribus imperitis. Pertinent ad hoc genus aliquæ Apellis tabulæ, ut ea, quæ Fortunam globo inſidentem, aliaq;, quæ Calummiam cum prole multiplici miniſtriſq; variis exhibebant, & à Plinio, Cicerone, cæteris exponuntur. Similis illa cum imagine Herculis Gallici, ad os revinctos homines poſt ſe trahentis, quam deſcribit Lucianus. Neq; aliò referendæ Hieroglyphicæ Ægyptiorum notæ ſeu picturæ, ſi Kirchero credimus, qui eas de Philoſophiæ regulis myſteriiſq; exponit, ut ex obeliſco patet. Tota deniq; emblematum multitudo hujus generis cenſenda, quæ partem multò maximam inſtituendis olim moribus ſerviens, nuper admodum per Italos nonnullos Hiſpanoſq; maximè Savedram, ad præcepta Reip. accommodata. Quod autem de formatione morum dixi, probat præter alios, Baſilius in Mat. Hom. 40: *Res aut in bello fortiter geſtas tum eloquentes homines ſæpenumerò, tum pictores exprimunt, illi ſermone ornantes, hi tabulis delineantes. Et utrumq; multos ad fortitudinem excitat.* Confirmatur hoc Baſilij, exemplis C. Maximi & P. Scipionis, qui fatentur de ſeipſis, conſpectu iſtiuſmodi imaginnm vehemen-

hementiſſimè ad virtutis amorem nominisq; ac famæ deſiderium inſtigatos fuiſſe, ut eſt proditum à Salluſtio in præfatione belli Jugurthini. Memorat & Gregorius Nazianzenus ſcortum, quod conſpectu Polemonis, ex laſcivo facti modeſtiſſimi temperantiſſimiq; pictura, vitam à flagitiis ad honeſtatem virtutemq; revocavit. Contrà ex Terentij Eunucho patet, quantum animis laſcivis addant ſtimulum picturæ inhoneſtæ, ut non ſine ratione Donatus ad Comœdiæ iſtius A. III. ſc. 5: *magnam cladem moribus hominum & civitatibus tales tabulas, cùm exempla ſcelerum adferant peccaturis, inferre.* Nempe ut Quintilianus ait lib. XI, c. 3: *Pictura tacens opus, & habitus ſemper ejusdem, ſic in intimos penetrat adfectus, ut ipſam vim dicendi nonnunquam ſuperare videatur.* Et ideò invenias, qui accuſatis reisq; nonnunquam per imaginem commiſſi ſceleris in tabula invidiam apud indices fecêre. Similiter ad miſerationem commovendam naufragi circumgeſtare pictos caſus ſuos conſueverant. Qua de re agemus in ſecundis de Militia Navali curis. Seneca. II. de Jra. 2: *Movet mentes & atrox pictura.* Pertinet huc quoq;, quod Plutarchus refert de Caſſandro, uno ex Alexandri ducibus, con-

ſpecta

ſpecta ſcilicet imagine Regis, licet jam defuncti, & in ipſa expreſſa Majeſtate, toto corpore cohorruiſſe. Sicut autem animum vehementer afficit, eumq; huc & illuc variè impellit; ita fit interdum, ut & ipſis corporibus ſingularem ſpeciem conciliet ac formam. Eſt inſigne Charicleæ exemplum, natæ forma Andromedæ depictæ, Hydaſpi & Perſinæ Æthiopibus, ut eſt autor Æthiopicorum Heliodorus. Atq; licet totum ſit commentus, quod de rebus utriusq; ſcribit, ita tamen in eo ſecutus veritatem eſt, ut nil propoſuerit, quod ei repugnaret, aut per naturam nequiret ita evenire, ſicut debet in ejuſmodi argumentis. Quod ſi quis dubitat, ea conſulat, quæ obſervat circa iſtiuſmodi eventus etiam B. Auguſtinus. II. Retractat. 62. Et quoniam tam vehementer à picturis commoventur homines, hinc opinor factum, ut & in tabernis mercatores proponerent, ſed rariores, & prodigioſiores, ut allicerent prætereuntes, & ſic ſimul mercium ſuarum facerent emptores. Iſtuc enim refero, quòd de bello murium & muſtelarum in tabernis picto babet Phædrus noſter l. IV. c. 5:

Quum victi Mures Muſtelarum exercitu,
Quorum in tabernis hiſtoria depingitur,
Fugerent &c. Certè

Certè ita hodieq; conſeverunt,unguentarij præſevtim, & agyrtæ, & circumforanei, alliciendæ plebi. Cæterùm in templis tabulæ celebriorum etiam artificum ſuspendi ſolitæ, ut Pauſanias nos decet. Romæ Mummius inſtituit, tabula Ariſtidis, Liberum Patrem continente, in Cereris delubro poſita. Quam primam picturam externam Romæ publicatam Plinius ſuſpicatur XXXV. c. 4. Dixi, etiam, ornare omnia hanc artem, quod vel ex uſu ejus hodierno patet. Habetq; non pauca huc ſpectantia Vitruvius lib. VII. c. 5. Iliacis temporibus navigia ſic excoli ſueviſſe, demonſtravimus abundè lib. II. de Militia Navali. Ædes publicas templaq; Deorum picta diſcimus ex Plinio non uno loco. Neq; rejeceruntChriſtiani eam conſuetudinem, uti ſuprà vidimus. Porticus ad hoc ſolenniter adhibitæ videntur. Liquet ex Athenienſium porticu, de qua antè dixi. Ita habes apud Aurelium Victorem *porticum Argonautarum*, in regione nona urbis, ita dictam à pictura, ſicut Barthius exiſtimat. Plinius lib. XXXV. c. 7. de Antiatum porticu: *Libertus Neronis, cùm daret Antij munus gladiatorium, publicas porticus inveſtivit picturâ, ut conſtat,*

conſtat, gladiatorum miniſtrorumq́; omnium veris imaginibus redditis. Et in porticu Trimalcionis apud Petronium eſt *Trojæ haloſis.* Fora quoq; tabulis ornabant. Plin. lib. XXXV. c. 4: *Deinde video & in foro poſitas vulgò tabulas.* Eadem conſuetudo deinde tranſiit ad alia, ut arma, & utenſilia, & ſupellectilem omnem, & artium diverſa inſtrumenta. Ipſæ veſtes infinita ferè varietate pictæ. Scilicet in omnibus picturæ jucundum adferunt ſpectaculum, oculosq́; mirè delectant: Adeò ut ne ipſi pictores quidem non ſummam, licet magno labore in opere verſentur, ex ea percipiant jucunditatem. Et fatetur Leo Paptiſta, pictor & ipſe lib. II. de pictura: *Nulla fermè ars eſt, in qua perdiſcenda & exercenda, omnis ætas & peritorum & imperitorum tanta cum voluptate verſetur. Liceat de me ipſo profiteri, ſi quando me animi voluptatisq́; cauſa ad pingendum confero, quod facio perſæpiùs, tanta cum voluptate in opere perficiendo inſiſto, ut tertiam & quartam quoq́; horam elapſam eſſe vix poſſim credere.* Refert & de Nicia exemplum Plutarchus in libello, non poſſe ſecundum Epicur. Sæpè ſolitum à famulis quærere ſuis, pranſusne eſſet, *adeò*, ait, *picturæ dediti afficiuntur operum*

rum ſuorum ſpecie. Ut proindè verè Seneca Epiſt. 9: *Artifici jucundiùs pingere, quàm pinxiſſe. Illa in opere ſuo occupata ſollicitudo ingens oblectamentum habet in ipſa occupatione.* Apparetq; planè in pictoribus ipſis, quibus ſuetum, prodere hanc animi lætitiam frequenti cantione, ut jam olim Libanio eſt obſervatum, quando Declam. VI. ſcribit: *Pictores quoq; animadverti cum cantu pingere.* Neq; mirum, tantam ex hac arte ſua percipere lætitiam, cùm tot conjunctas habeat utilitates, quot jam diximus, & multas alias, quas enumerare omnes nimis longùm foret. Inter quas & illa, quòd abſentes faciat præſentes, deſideriumq; amatarum rerum procul diſſitarum mitiget ac conſoletur. Qua de re ſunt verba Simocattæ Epiſt. 10: *Si celeriter ad nos redire non potes, mitiga mihi per vim pictoris vim amoris, ut tabulis pictura tuæ imaginis mihi ſpectaculum præbeat.* Nec hoc in abſentibus vivis tantùm procedit, verùm etiam defunctis pridem, quos nobis vivos quodam modo reſtituit.

Unde Vetus Trochaicus:

Omne reddit pictor orbi, Mors quod atra ſuſtulit.

Ad poſtremum non hoc ſolùm præſtat, ſed unà cum magiſtris, ea omnia illuſtrat, & durabilia in poſteritatem ſeram, ac propemodum æterna facit, quæ ſuo opere complecti dignata eſt. Teſtatur Plinius lib. XXXIV. c. 9. & ait: *Mirum in pictoria eſt, quòd nobiles viros nobiliores facit.* Et Pacatus meus: *Artificibus ſecunda ſors (à vatibus poëtisq́) ceſſit, dare famam rebus.* De ſtatuariis, ſculptoribus, maximè verò pictoribus loquitur, ut ex eo loco toto manifeſtum eſt.

§. 6. *Cum uſus artis bujus ſit tam multiplex magnusq́, ideò non viri modò, ſed & fœminæ illam exercere poſſunt.*

Varro planè poſtulavit hoc in fœminis, quò ſcirent rectiùs opera plumariorum, & ſimilium dijudicare. Verba ejus in Catone, ſeu de educandis liberis, ubi ſine dubio de puellarum inſtitutione, ſicut cæteris in artibus, ſic & pictoria locutus fuit: *Nulla, quæ non didicit pingere, poteſt benè judicare, quid ſit bene pictum à plumario aut textore in pulvinaribus plagis.* Sed & celebres ſunt fœminæ apud veteres hac arte. Nam apud Plinium occur-

occurrit Timarete filia Myconis. Verba ejus lib. XXXV. c. 9: *Fuit & alius Mycon, qui minoris cognomine diſtinguitur, cujus filia Timareta, & ipſa pinxit.* Idem libri ejusdem. II. *Pinxêre & mulieres, Timarete Myconis filia Dianam in tabula.* Addit mox plures ut Irenen, Cretini pictoris filiam, Calypſon, Alcisthenen, Ariſtareten, Nearchi filiam, LatamCyzicenam, Olympiadem, omnes celebres hac arte.

§. 7. *Ob eundem uſum ejus varium in magno habita & ipſa eſt honore, & illi, qui eam ſoliti ſunt exercere.*

Græci ſanè judicarunt dignam, quam ſoli diſcerent ingenui. Plinius lib. XXXV. c. 10: *Pamphyli autoritate effectum eſt Sicyone primùm, deinde in tota Græcia, ut pueri ingenui ante omnia diagraphicen, hoc eſt, picturam in buxo docerentur, reciperetur q; ars ea in primum gradum liberalium. Semper quidem honor ei fuit, ut ingenui eam exercerent, mox ut honeſti perpetuo interdicto, ne ſervitia docerentur.* Oſtendit, adeò fuiſſe commendatam, ut ne iis quidem vitio ſit datum, exercere eam, qui in altiori fortuna eſſent nati, aut honeſtiore loco conſtituti. Ideò inter laudes Pythagoræ

goræ memorat Porphyrius, Platonis Apulejus, quòd picturæ operam impenderint. Et apud Romanos, Fabius Conſul, Pacuvius Poëta pictores celebrantur, ut ex Plinio apparet. Invenimus quoq; apud viros maximos pictores in honore ſingulari fuiſſe. De Apellis cum Alexandro Magno familiaritate teſtantur aliquot hiſtoriæ à Plinio memoratæ, illa cumprimis, quòd ne pellicem quidem ſummæ venuſtatis, quam flagrantiſſimè amabat, petenti negare ſuſtinuerit. Nec in minore gratia apud Antiochum fuit. Paulò ſeriùs mirari eam cœpere Romani, verùm numero immunitatum beneficiorumq; tarditatem iſtam compenſarunt. Extat in codice Theodoſiano lex à Valente ſcripta, inſigne argumentum honoris, quem huic arti exhibuere. Verba ejus ſunt in titulo de Excuſ. Artif: *Picturæ Profeſſores, ſi modò ingenui ſunt, placuit neq; ſui capitis cenſione, neq; uxorum aut etiam liberorum nomine tributis eſſe munificos, & ne ſervos quidem barbaros in cenſuali adſcriptione profiteri, ad negotiatorum quoq; conlationem non devocari, ſi modò ea in mercibus habeant, quæ ſunt propria artis ipſorum. Pergulas & officinas in locis publicis ſine penſione obtineant: Si tamen in*

his uſum propriæ artis exerceant, neq́ quemquam hoſpitem inviti recipiant, lege præſcripſimus, neve pedaneorum judicum ſint obnoxij poteſtati, arbitriumq́ habeant conſiſtendi in civitate, quam elegerint, neve ad proſecutiones equorum, vel ad præbendas operas devocentur, neve à judicibus ad efficiendos ſacros vultus, aut publicorum operum expolitionem ſine mercede cogantur. Scilicet honorabat Valens, aliiq; ante ipſum, artem, quam ne ipſis quidem Regibus Imperatoribusq; exercere turpe viſum, præter Neronis, Hadriani maximè, ac Antonini, laudatiſſimorum principum exemplis abundè intellexerant. Quanto verò fuerint in pretio egregia pictorum opera, vel hinc colligas, quòd Pamphili, qui Apellis, fuit præceptor, tabulæ etiã apographum L. Lucullus emerit duob9 talentis à Dionyſio, ut eſt auctor Pliniuslib. xxxv. c. 11. Faciunt porrò duo illa talẽta mille ducentos philippeos. Una Parrhaſij tabula Archigallũ referens, æſtimata ſexaginta ſeſtertiis, id eſt, mille quingentis philippeis. Cydiæ Argonautas Hortenſius orator eſt mercatus pro centum quadraginta quatuor ſeſtertiis, id eſt, tribus millibus & ſexcentis philippeis. Ariſtidis prælium cum Perſis, in quo centum homi-

homines exhibebantur, Mnaſon Eleatenſium tyrannus emit minis mille, id eſt, philippeorum decem millibus. Apelles pinxit Alexandrum Magnum fulmen tenentem in templo Epheſiæ Dianæ viginti talentis auri, quæ faciunt philippeorum millia duodecim. Niciæ Necromantian Attalus emere voluit talentis ſexaginta, id eſt, triginta ſex millibus philippeorum, nec obtinere potuit. Timomachi Ajax & Medea venundatæ talentis octoginta, ſive quadraginta octo millibus. Ariſtidis ægrum Attallus rex emit talentis centum, id eſt, philippeorum ſexaginta millibus. Eandem ſummam Romani remiſere Cois pro Apellis Venere Anadyomene, tributi nomine ſibi debitam. Poſtremò ſunt inventi, qui earum pondus auro rependerent. Plinius lib. XXXV. c. 8: *In confeſſo eſt, Bularchi pictoris tabulam, in qua erat Magnetum prælium à Candaule rege Lydiæ Heraclidarum noviſſimo, qui Myrſilus vocitatus eſt, repenſam auro.* Item alij, qui earum magnitudinem æquarent nummis aureis, id eſt, tot darent aureos, quot tota tabula poſſet contegi. Sic intelligo ejusdem verba lib. XXXV. c. 12. ubi de Apellis tabula, in qua pictus fuit Alexander fulmen

 tenens.

tenens. *Manupretium ejus tabulæ in nummo aureo menſura accepit, non numero.* Adeò non fidem ſuperat, quod ait idem præcedenti capite, Apellis Echionis, Melanthij Nicomachi tabulas ſingulas *oppidorum opibus* veniſſe. Quin imò quandoq; nullo ſatis juſto pretio æſtimari poſſe putatæ, ac iccircò dono datæ potiùs, quàm venditæ. Idem Plinius lib. XXXV. c. 9. de Zeuxe: *Poſtea donare opera ſua inſtituit, quòd ea nullo ſatis digno pretio permutari poſſe diceret, ſicuti Alcmenam Agrigentinis, Pana Archeleo* & c. 11. de Nicia: *Hanc* (Necromantiam) *vendere noluit Attalo regi talentis ſexaginta, potiusq; patriæ ſuæ donavit.*

§. 8. Verſatur autem circa omnia, & Naturalia & Artificialia, imò ea etiam, quæ excogitantur ſolo ab ingenio humano, verùm quatenus ſpectari poſſunt oculis, aut poſſe videntur.

Nam quæ penitùs ſpectari nequeunt, ne pingi quidem poſſunt. Parrhaſius ad Socratem apud Xenophontem in memorab: *Quo pacto hoc poſſit eſſe imitabile pictori, quod*

quod neq; proportionem, neq; colorem, neq; quidquam habet illorum, quæ modò tu commemorabas, ac omninò nemini quidem poteſt? Inventi quidem ſunt jam olim, qui & ea, quæ non poſſunt cerni, pinxere, ut ſpiritus, ventos, ſermones, & id genus. De Apelle ipſo Plin. lib. XXV. c. 12: *Pinxit, & quæ pingi non poſſunt, tonitrua &c.* Sed tamen & hæc pinxerunt, non ut ſunt, ſed ut quandam ſpeciem eorum animo formarunt, putaruntq; futuram, ſi obiicienda foret oculis. Huc pertinet, quod habet Apollonius apud Philoſtratum lib. VI. c. 9. Nam cùm ex eo quæreret Theſpaſion, an pictores cœlum adſcenderent, ibiq; viderent Jovem eâ formâ, quâ pingerent, reſpondet, minimè, ſed phantaſiam id facere: *Nam phantaſia,* inquit, *artifex imitatione ſapientior. Imitatio hoc tantùm operatur, quod vidit, phantaſia etiam, quod non vidit. Proponit enim ſibi id, quod non novit, ad ejus quod eſt relationem.* Atq; ita quidem pinguint, quæ non poſſunt cerni, licet exiſtant. Neq; aliter verſantur in cæteris, quæ non exiſtunt. Nam & Chymæram formant, & Pegaſos, & Sirenas, & id genus alia, quæ naturæ ignorantur. Secundum naturam tamen, ut ſi exiſtere deberent, aliter,

non videantur poſſe formari. Nempe omni arti eſt propoſitum, imitari naturam, ut oſtendit Ariſtoteles II. Phyſi: Auſc. & quod deeſt ipſi, ſupplere, ut is idem docet VII. Polit. Quare quod naturæ penitùs repugnat, arte exprimi nec poteſt, nec conveniens ſanumve eſt. Vitruvius lib. VII. c. 5: *Neque picturæ probari debent, quæ non ſunt ſimiles veritati, nec ſi factæ ſint elegantes ab arte.* Loquitur de animalibus, cannis, arundinibusq́;, velut integras ædes aut moles graves ſuſtinerent, pictis, quod ne fingi quidem per naturam rerum earùm poteſt. Igitur ſubjungit: *Quis univerſum domos ſupra tegularum tecta habere aut columnas ſeu faſtigiorum explicationes? Hæc enim ſupra contignationes ponuntur, non ſupra tegularum tecta. Si ergò quæ non poſſunt in veritate rationem habere facti, in picturis probaverimus, accedamus his civitatibus, quæ propter hæc vitia inſipientes ſunt judicatæ.* Putant Serlius Caſtilioniusq́; agere de eo genere picturæ, quod ab Italis à gryptis ſubterraneis, in quibus uſitatum fuit, nominari, *Grotteſca* conſuevit. Mihi aliter eſt viſum. Non enim de imaginibus deformiter ac monſtroſè fictis agit, ſed de rebus naturalibus aut artificialibus, ſic inter ſe

com-

compoſitis, ut naturæ, etiamſi fingere ve-limus, penitùs repugnet. Nempè non adverſum eſt naturæ, vultus exiſtere deformes, aut ex herbis, oleribus, frugibus compoſitis effigiem rei alterius alicujus concinnare reddereque. At verò in arundine ſtabiliri ædes integras, molesq; ſupra tecta domus eminere, id cum natura rerum convenire nunquam poteſt. Igitur conveniens naturæ quidem eſſe pictura omnis debet, etiamſi non exiſtat in natura, quod pictura continet. Id quod evenit, ſi eſt talis, qualem ea res, ſi quando per naturam exiſtere deberet, ſeſe, neq; aliter, ſpectandam noſtris oculis videtur præbitura.

§. 9. *Etiamſi verò circa omnia verſetur, pingenda tamen non ſunt, niſi ea, quæ pietati virtutiq; non repugnant.*

Obſervandum hoc eſt, contra impias picturas & obſcœnas, tantò magis, quantò faciliùs animum movent omnes, ut in præcedentib, monſtravimus. Atq; ita olim monuit Ariſtoteles, & lib. VII. Pol. c. 17. ad officium Magiſtratuum pertinere voluit, *curare, ne quid*

ne quid pingeretur, quod actiones fœdas repræſentet. Thebis quoq; lege publicâ prohibitum fuiſſe, ne quid obſcœni pingererur, tradit Voſſius in Graphice ex Æliano. Sed non illud ait Ælianus noſter, verùm cautum, ne quis negligenter verſaretur in hac arte, id enim eſt, εἰς τὸ χεῖρον εἰκόνας μιμεῖσθαι, uti auctor ibi loquitur. Neq; aliter Franc. Junius in de Pictura c. 4, aut ante eum magnus vir, Laurentius Pignorius (ne quid de Vultejo, interprete Æliani, dicam) intellexere, ut ex interpretatione menſæ Iſiacæ c. 2: patet. Itaq; hic quidem vir egregius memoriâ eſt lapſus, nec retractare locum eum, morte ſcil. præventus, potuit. At quod refert ex Concilio in Trullo, aptum eſt, clareq; monſtrat, veteris Eccleſiæ ſtudium in conſervanda etiam huius rei honeſtate. Scilicet paganis tum, & olim uſitatum erat, iſtiuſmodi tabellis exornare cùm domorum partes cæteras, tum maximè cubicula, uti ex Protreptico Clementis diſcitur. Opinor, ut ſpectaculis ejuſmodi ſubindè ad libidines excitarentur, nec à voluptatibus per oblivionem quandam requieſcerent. Sic enim etiam de Tiberio Suetonius cap. 43: *Cubicula plurifariam diſpoſita, tabellis*

bellis & ſigillis laſciviſſimarum picturarum & figurarum adornavit. Sed nec impiæ picturæ ſunt pingendæ, quibus Majeſtati divinæ aut Religioni derogatur. Cujuſmodi apud paganos erant adulteria Jovis, Martis, Veneris, rapinæ Herculis & Plutonis, & id genus. De quibus etiam Ariſtides, licet paganus, in fine orat. Iſthmic. in Nept: *Impias picturas ego miror, quomodo, qui primi viderunt, ab eorum artificibus & autoribus manus abſtinere potuerint.* Accidit hujuſmodi quid aliquando quoq; inter Chriſtianos, memoratq; Nicephorus Caliſtus lib. XV. c. 23. Hiſt. Eccleſ. Pictorem, qui Salvatorem noſtrum habitu & ornamento alicujus ex idolis ethnicis formare auſus fuerit. Sed impietatis ejus ſuæ graves ſcribit ſummo Numini dediſſe pœnas, dextrâ manu arefacta, cujus miniſterio nefandum opus compoſuerat.

§. 10. Forma ratioq; quâ hæc ars conſuevit exerceri, non eſt uniuſmodi. Fit enim imaginibus aut inſutis, aut intextis, aut immiſſis, aut inuſtis, aut inlitis. Inſuunt Phrygiones. Intexunt Polymitarij ac Bar-

baricarij. Immittunt Empeſtæ, Muſivarij, & Lignarij. Inurunt Encauſtæ. Inlinunt deniq; Pictores.

Sunt & alij qui coloribus utuntur, & ſic pingere quadantenus videri poſſunt, velut infectores, fullones, comptores comptricesq;, nautæ, ac hujuſmodi. Verùm quia pingere ij demum verè proprieq; intelliguntur, qui rerum naturalium aut artificialium quaſdam exprimunt imagines, ut antè dixi, de his talibus hìc agere inconveniens eſt viſum.

§. *11. Pingunt Phrygiones acu filisq; diverſicoloribus.*

Eſt hæc ars antiqua planè, ac à Phrygibus excogitata, modò verum ſit, quod de ipſa tradit Plinius VIII. c. 49: *Pictas veſtes acu facere Phryges invenerunt, ideoq; Phrygiones appellati ſunt.* Ita quidem habet Dalecampij editio. At in codicibus antiquis, Polydoro Virgilio citatis, legebatur, *Idæi Phryges invenerunt.* Neq; aliter in Frobeniana, per Rhenanum, aut Hagenoenſi, per Hermolaum Barbarum adornata editione inveni, ut non temerè hoc videatur omittendum.

Idæi

Idæi Phryges dici, ad differentiam Idæorum Cretenſium putamus, qui & Dactyli appellabantur. Trojanorum accolæ fuerunt, à Thracibus oriundi, à quibus illuc paulò ante tempora excidij Trojani ſunt egreſſi, ut Straboni traditur. Ab his acceperunt Ægyptij, modò non, quod vero eſt ſimilius, tenuerint priores. Nam & de his Lucanus:

Quod Niloticus acus compreſſum pectine ſerum
Solvit, & expanſa laxavit ſtamina velo.

Qualis fuerit reverâ iſthæc acû pingendi ratio conſuetudoq́;, parùm liquet, traditumvè eſt veteribus. Fortè tamen non diſſimilis multum ei, quâ hodieq́; utuntur, qui auro, margaritis, gemmis, veſtes diſtinguunt, & à ſerico Germanis *ſeidenſtiker*, à limbis veſtium, qui potiſſimùm ſic exornari ſolebant, Gallis *bordeurs* appellantur. Et ſic accepiſſe hoc vocabulum pleroſq́; video noſtrorum. Sanè celebris hodieq́; ars eſt, neq́; uno modo ſolet exerceri. Nam aliàs ſimplici contenti colore, fila modò in rectum, modò in transverſum ducunt, aliàs duplicant, aliquando modis crebris interſtinguunt, aliavè ratione variant futuras, & ſic figuras, quas capiunt, repræſentant, eſtq́; hoc netricibus potiſſimùm in uſu in collaribus,

bus, culcitris & pulvinis. Interdum pluribus coloribus utuntur, & vel decuſſatim nere fila ſolent, in veſte rariore ac tenuiore, quod ſpeciem habet picturæ, continuis elaboratæ punctis, nomenq́; accipit à crucibus, aut filis ſibi invicem hac forma impoſitis duobus, & in ſtragulis menſarum, ſcamnorumve, pulvinaribus ſedilium, & iſtiuſmodi adhibetur. Vel longioribus lineis productisq́; formare deſtinatum opus conantur in quacunq́; veſte colorata, ſerica etiam & villoſa, propriè verò genus hoc in veſtibus pretioſiſſimis adhibetur, ſacris puta illis & principalibus, & quæ auro gemmisq́; exornari debent.

§. 12. Pingunt Polymitarij & Barbaricarij radio textorio.

De Polymitariis vel ex voce patet, quando *μίτος* Græcis *licium*, quod ſtamini intexitur. De Barbaricarijs ex Tertulliano diſcimus, ut mox liquebit. Nam Barbaricarij Donato ita dicti, qui Barbaricas concinnant veſtes. Barbaricæ porrò veſtes illæ ipſæ, quæ & Babylonicæ dicuntur. De quibus eſt inſignis in hunc ſenſum locus Tertulliani in de habitu muliebri: *Age*

nunc,

nunc, ſi ab initio rerum, & Mileſij oves tonderent; & Seres arbores nerent, Tyrij tingerent, & Phryges inſuerent, & Babylonij intexerent. Diſtinguit notabiliter à Phrygibus Babylonios, illis *ſuere*, his *texere* attribuit. Sic Plinius VIII. c. 45: *Colores diverſos pictura intexere Babylon maximè celebravit.* Martialis quidem aliud videtur voluiſſe, nempe acu eſſe uſos:

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera, victa eſt
Pectine Niliaco jam Babylonis acus.

Sed intelligendum Martialem puto de re nova & inuſitata. Nempè Babyloniorum aliqui quoq; pingebant acu, ſicuti Alexandrinorum vel in Ægypto quidam radio; ſed pictura minùs eleganti, cùm contrà hi radio, illi acu excellerent. At Martialis tempore ac in iſta veſte, qua de agit, accidit, ut contrà fieret. Itaq; notanter ait, *jam* eſt victa, quaſi diceret, quæ olim vincere ſolebat. Ergò radio pingebant Babylonij, veſteſq; Babylonicæ non acu, verùm radio formabantur. Quo cùm & *Plumarij* uterentur, ad nullùm aliud referendi genus videntur. Varro in Catone ſeu de liberis educandis: *Nulla, quæ non didicit pingere, poteſt benè judicare, quidſit benè pictum à plumario*

mario aut textore in pulvinaribus plagis. Pulvinares plagas pingere textori tribuit, ſed ut ſcias, non intelligi vulgarem, *plumarium* appellat. Porrò textor non eſt, niſi radio utatur. Cæterùm Polymitarij pingebant liciis diverſicoloribus, ſtamini intextis. Quod genus non tam habebat imagines, quàm varietates colorum, eo modo, quo hodieq; confici aulæa ſolent, maximè in Galliis. Lineas habent transverſim ductas unius aut alterius digiti latitudine, coloribus pulchrè diſpoſitis per tonos ſuos, atq; incrementa decrementaq;, ut in album deniq; aut nigrum deſinant. Nec fortaſſis aliæ *virgatæ veſtes* apud veteres fuere. Antiquiſſimum profectò eſſe genus, jamq; Jacobi temporibus apud Cananæos uſitatum conſtat. Talis enim toga fuit, quâ Joſephum filium adhuc puerum ornavit. Quod apparet ex Hebræo, in quo *togam fruſtorum* ſignificat. Nempè veſtis, quæ ex liciis diverſicoloribus per lineas ejuſmodi contexitur, compoſita ex meris limbis, plagulisq; videtur. At plumarij effigie plumarum diſtinguebant veſtes. Sunt porrò *plumæ* apud veteres, ut vult Salmaſius, notæ ex auro vel purpura rotundæ, in modum plumarum fa-

ctæ,

ctæ, plumarumq; ſimilitudinem referentes. Talibus ornare veſtes ſtragulas præſertim conſueverunt. Nam hæ plagæ pulvinares, quarum Varro antè mentionem fecit. Errantq; vehementer, qui ſic pictas culcitras exiſtimarunt, inter quos & Junius, quemadmodum ex Nomenclatore ipſius patet. Barbaricariorum penè eadem fuit ratio, niſi quòd pro plumis rerum aliarum texendo effigies imitarentur. Id quod Babylonios inveniſſe primùm, Plinius exiſtimavit. Nam de iſtiuſmodi diverſitate colorum videtur intelligendus, quam in veſtibus texendis ait obſervaſſe. Sanè, *Babylonicum plumatum* dixit Publius in ſententiis, eoq; amictum quaſi pavonem finxit, propter varios in eo colores; non quòd Babylonica omnis plumata, ſed quòd inter alias ipſius ſpecies, plumata etiam. Adeò vix differunt Plumarij & Babylonij, ac proindè unâ Barbaricorum appellatione haud difficulter poſſunt comprehendi. Ex ſpeciebus autem reliquis veſtis Babylonicæ alia flores, alia herbas, alia aves, aliavè animantia figuris referebat. Talis illa Ulyſſis ex animantium imaginibus variegata, cujus ut jam ſuis temporib⁹ notæ mentionem facit Home-

rus.

rus. Neq; alia *vela* ſunt *Judaica*, quæ nominat in Eutrop. Claudianus, ſicut eruditè Seldenus in II. juris Natur. c. 9. demonſtrat. Solebant & hominum effigies eis intexere, aliquando integris ornare hiſtoriis, non modò quibus lectos ſternerent ac triclinia, ſed ſe ipſos quoq; homines veſtirent. Qua de re inſignis planè locus eſt Aſterij Amaſeæ Epiſcopi, relatus à Rubeno in II. Elector. c. 1: *Vanâ & ſupervacuâ arte texendi inventa, quæ ſtaminis atq; ſubteminis contextu pictorum facultatem imitatur, & omnium formas animalium in veſtimentis exprimit. &c.* Et ſtatim pòſt: *ſunt ibi leones, panthera, urſi, tauri, canes, ſylva, ſaxa & venatores, & omnia deniq; circa quæ pictorum verſatur induſtria, ad imitationem naturæ expreſſa &c. Qui verò religioſiores ſunt, ex hiſtoria Evangelica textoribus argumenta ſuppeditant: Ipſum dico Chriſtum noſtrum cum diſcipulis omnibus, & unumquodq; miraculum, hoc ipſo, quo narratur, modo.* Adde cætera, nam legi omnia merentur. Obſervandum autem, quòd confecta iſta dicat contextu ſtaminis ſubteminisq;. Inde namq; patet, ſimile fuiſſe iſti generi, quod hodieq; in mappis & mantilibus lineis ſervatur, vulgoq; *trilicium Damaſcenum* dicitur.

Nam

Nam & in his iſtâ ratione intexi hiſtoriæ conſueverunt. Sed & in cæteris veſtibus Damaſcenis, quæ ex ſerico texuntur, flores omnis generis & minuta interdum animalia quædam pinguntur. Ut ſi talis ratio Babyloniorum quoq; fuit, ſicuti videtur, non parùm exſtiterit diverſa ab ea ratione, quâ in aulæis & periſtromatis hac ætate utuntur, ut in quibus ſtamen non conſpiciatur, ſed è filis lineis laneiſve craſſioribus confectum ſerico contegatur univerſum. Arte non profectò parvâ, quippe quæ picturas etiam præſtantiſſimorum magiſtrorum, ſi non ſuperat, certè adæquet. Eſt & genus aliud aulæorum, ſive ſtragularum potiùs, aut mapparum, Turcis hodiè in uſu, quod nec acu fit, nec radio, ſed duplici triplicive licio in nodum collecto, per bina quæq; ſtaminis fila in transverſum, forficeque abſciſſo, ita ut pars exigua licij velut villus ſupra nodum emineat. Totum eſt hirtum, inſtar ſerici villoſi, rerumq; quarumlibet, florum maximè imaginibus reddendis idoneum. Veteribus fuiſſe notum non exiſtimamus.

§. 13. Empeſtæ pingunt, auro argentoq;

 immi-

immiſto, in exſculptos antè ductus, imagines quascunq; referentes.

Empeſtas nominamus Græcâ imitatione, Græci enim ſic vocarunt, artemq; totam Empeſticen dixere, ut ex Athenæo pridem obſervavit Cauſabonus. Verba ejus hac de re in Comment. Suetonij ad Augusti vitam. c. 7. legantur, ubi auctor mentionem facit *aneæ imagunculæ, ferreis literis inſcriptæ*, tali arte. Sic apud Ciceronem in Verrina VI. *ſignum* legitur *Apollinis*, cujus in femine *literulis minutis argenteis nomen Myronis erat inſculptum.* Nec in literis pingendis ſolùm, ſed & rerum imaginibus formandis hoc receptum fuit, uti ex Petronio cognoſcimus, qui *aureum* commemorat *annulum, ferreis velut ſtellulis ferruminatum.* Imò jam apud Homerum reperiuntur pocula & arma ærea, claviculis & aſteriſcis aureis argenteiſvè ornata, de quibus vide, quæ eidem Caſaubono ad XI. Athenei c. 12. notantur. Manſit ea ratio non ignota planè noſtris etiam temporibus, nuperquè admodùm in frequentem uſum revocata fuit in Britannia, ubi manubria cultrorum ferrea, & calcaria, & capulos gladiorum, &c bom-

bombardas ſic ornare inſtituerunt, additis ſeu immiſſis potiùs ex argento roſis, foliis, ſtellulis, & aliis ejuſmodi minutis.

§. 14. *Muſivarij pingunt teſſellis diverſicoloribus, diſpoſitis immiſſisq́; arenæ.*

Eſſe etiam hoc picturæ genus, docet Apulejus, quando ſic de eo loquitur: *Pavimenta ipſa lapide pretioſo cæſim diminuto in varia picturæ genera diſcriminantur.* Convenit & Iſiodorus, ubi genus Lithoſtrata appellat: *Lithoſtrata,* inquit, *ſunt elaboratâ arte picturæ parvulis cruſtis & teſſellis.* Quamquam Plinius diverſum videatur facere, quando lib. XXXVI. c. 25: *Pavimenta apud Græcos originem habent elaboratâ arte picturæ ratione, donec lithoſtrata expulere eam.* Vocat & ipſe, *artem elaboratam,* planè ut Iſiodorus, qui fortaſſis iſta ex hoc habet, verùm malè intellecto, quando Plinius ad pavimenta refert, & Lithoſtrata ab eis diſtinguit. Et illa quidem parvis teſtis in varios tinctis colores docet, facta fuiſſe, aut teſſellis, figura ſemper una eademq́;, qualis eſſe teſſerarum ſolet. Lithoſtrata ex adverſo fiebant ex ſectis in varias figuras, quadratis nempè, trigonis, ob-

 longis,

longis, rotundis, & ſimilibus lapillis, ut prolixè à Salmaſio notatum eſt in Plinianis. Sanè convenit de teſſeris & Iſiodorus ſuprà dicto loco, vocatq; *teſſellas tinctas in varios colores à teſſeris nominatas, id eſt, quadratis lapillis.* Exſtatq; earum aliqua imago à Welſero edita in Vindelicis, ubi pavimentum tali arte formatum, in quo gladiatorum, bigarum aliarumq; ad circum & theatra pertinentium rerum figuræ continentur, deſcribit. Opus totum *teſſellatum* à Suetonio in Julio, *Muſivum* à Spatiano in Peſcennio, *Emblematicum* & *Vermiculatum* à B. Auguſtino, in L. de ord. c. 1. appellatur. Habetq; hoc poſtremum nomen à vermiculo ſeu cocco, à quo verme, nomen *guermes*, & *chermes* eſt, color *carmaſinus* uti vulgò dicitur, quo imbui teſſellæ iſtæ conſueverunt, uti à Salmaſio prædicto libro annotatur. Non enim ſimplices, & prout à natura produntur, verùm hoc, & aliis imbutas coloribus adhiberi conſueviſſe, etiam ex Iſidoro patet, verbis, quæ ſuperiùs attulimus. Adde quoque, quæ de eo legimus in Commentariis Suetonianis Caſauboni loco ante dicto, & Vitruvianis Philandri lib. VII. c. 1. Hodie ars tota periit, ut jam Pancirollo eſt notatum.

tum. Nam quæ alicubi ſaxis & lapidibus majoribus roſarum aut ſtellarum imagines in pavimentis fiunt, longè ab iſta Veterum abſunt cura diligentiaque.

§. 15. *Lignarij pingunt tabellis ligneis tenuioribus, diverſo modo coloratis, quas immittunt tabulæ, pro imaginum ratione exſculptæ, glutineq́ firmatas in ſuperficie poliunt aſciâ, ut omnia ſint plana.*

Picturæ hujus generis in menſis ac repoſitoriis hodiè fiunt, prorſus artificiosè. Quin & nudæ tabulæ pictorum præſtantiſſimorum æmulantes opera ſic conſtruuntur. Tabellæ tenuiſſimæ ex piro tiliave primùm imbuuntur variis coloribus, certâ præparatis arte, ut lignum intùs pariter ac extrà tingant. Eæ deinde in varias formantur effigies, ut ratio picturæ exigit; dein exſculptæ, pro magnitudine figuraq́; ipſarum, tabulæ immittuntur conglutinanturq́;. Loco tabellarum lignearum adhibentur aliquando oſſa in laminas tenues ſecta, & cornua, & teſtudinum cortices, & ebur, & argentum. Opus totum à Germanis *einlegen*,

aut *furnieren* appellatur. Quamquam hoc ab iſto ita differat, quòd in hoc nihil pareat ex tabula, cui figuræ tales immittuntur, verùm tota contègatur. An veteribus in uſu fuerit, ignotum mihi eſt. Niſi fortè Plinius intellexit, quando ait lib. XVI. c. 43: *Hæc prima origo luxuriæ, arborem alia integi, & viliores ligno, pretioſiores cortice fieri. Excogitatæ ſunt & ligni bracteæ. Nec ſatis, cæpere tingi animalium cornua, dentes ſecari, lignumq́ ebore diſtingui.* Sanè hæc diſtinctio lignorum, quæ fit ebore, cornibusq;, & confectio bracteis ligneis accipi vix aliter, quàm de iſtiuſmodi generibus poteſt. De quo tamen videant ampliùs, qui volent.

§. 16 *Encauſtæ pingunt inuſtione. Eſt autem artis hujus triplex ferè ratio, nam fit aut ceris, aut coloribus, aut vitro. Ceris in ligno; coloribus in ebore, aut ferro, aut fictibilibus; Vitro deniq́ in auro.*

De Encauſtica pingendi ratione prodiderunt multa multi, diverſo ſucceſſu, ſicut fit in re obſcura, vide Pancirollum de rebus perditis, & interpretem illius, Henr. Sal-

Salmuth, Demontioſum in libris de Pictura, Salmaſium ad Solinum, Voſſium in de Idololatria IV. c. 91. & de Graph. v. 47. Mihi uno verbo res huiuſmodi fuiſſe videtur. In tabulis ligneis, vel alterius materiæ urebantur ductus lineares, qui figuram referebant futuræ picturæ. Ductus illi poſtea implebantur cerâ diverſi coloris, pro ratione imaginis, quæ mox æquabatur tabulæ, admotis ignibus. Videtur colligi ex Martiale poſſe, quando ſic de Phaëtonte, arte tali picto lib. IV. c. 47:

Encauſtus Phaëton tabulâ depictus in hac eſt.
Quid tibi vis, dipyron qui Phaëtonta facis?

Dicit *dipyron* hunc Phaëtonta factum, hoc eſt, bis crematum, quod non poſſet, ſi non antè, quàm admotus eſſet ignis, ejus aliqua in tabula extitiſſet imago. At verò talis eſſe aut manere, ſolis ex ceris non profectò potuit, ignibus admotis, omnibusq; in unam maſſam confluentibus: unde mihi fit probabile de ſulcis lineisq;, quod prædixi. Deinde alterum picturæ hujus genus ſic ſe habuiſſe certum eſt. Stylo ferreo igne candefacto inurebant ebori aut cornibus lineas, quibus quas vellent, imagines exprimerent. At hoc cum priori jungit Plinius, &

utriq; ſtylum iſtiuſmodi, ceu inſtrumentum, quo conficiatur, tribuit. Verba Plinij ſunt lib. XXXV. c. 11: *Encauſto pingendi duo fuiſſe antiquitùs genera conſtat, cera, & in ebore, ceſtro, id eſt, veruculo.* Utriq; ceſtrum tribuit ſeu veruculum, hoc eſt, candens & acuminatum ferrum, quod ducendis lineis ſtriisq; inſervit. Quod apparet etiam ex eo, quia quando à duobus his diſtinguit tertium, non aliâ re magis facit, quàm quòd non veruculi, ſed penicilli ſit in eo uſus. *Tertium acceſſit*, ait, *reſolutus igni ceris penicillo utendi.* In prioribus duobus ergò non eſt uſus penicilli, ſed veruculi. Quod & ex alio ipſius loco patet, ubi de Pauſia Encauſta: *Pinxit & ipſe penicillo parietes Theſpiis, multumq; comparatione ſuperatus exiſtimabatur, quoniam non ſuo genere certaſſet.* Dixit, penicillo pinxiſſe, id non fuiſſe genus, quo uti antè conſueverat, unde liquet, Encauſtarum proprium fuiſſe, pingere veruculo ſeu ceſtro. Quod ſi verò in utroq; iſto genere, illo etiam, quod fiebat ceris, uſus fuit ceſtri, fieri profectò id vix potuit, ratione aliâ, quàm quâ dixi. Et oſtendit nomen ceſtri. Nam ſi κέςρος, ſicut Græcè ſonat, eſt à κῶ, hocq; idem denotat ac κοιλαίνω, id eſt,

cava,

cavo, ſicut eruditi volunt, exq; Grammaticis antiquis oſtendunt; non potuit ſanè uſus ejus complanationem, licet illi eruditi ita ſtatuant, ſed excavationem reſpexiſſe. Idem velle Encauſis vocabulum videtur. Eſt enim Encauſis apud Græcos non ſimplex quædam uſtio aduſtiove, ſed inuſtio. Porrò hoc non intelligitur, niſi ubi in materiam uſtio deſcendit, quemadmodum cùm nota fronti, aut ſignum pecori inuritur. At cùm in æqua tabula ceræ diverſorum colorum complanantur igne (quomodo hoc genus factum antè dicti eruditi volunt) uſtio illa inuſtio, ut quæ non deſcendat in materiā ſubiectam tabulamve, dici nequit. Deniq; & ex Procopio hoc apparere poteſt, qui in primo de ædificiis Juſtiniani, factā Encauſticen ait κήρῳ ἐντακέντι καὶ διαχυθέντι, quod non tantùm *cera liquefacta* denotat, ut vertunt eruditi illi, ſed illiquefacta, ut ſic dicam, & infuſa inſtillataq; , quod intelligi non poteſt, niſi liquefacta in prædictis ſulcis. Cùm ſcripſiſſem iſta, incidi in Dalecampium, eumq; in ſimili fuiſſe ſententia deprehendi. *Scalptæ*, inquit ad Plinij lib. XXXV. c. 7. *variis figuris tabulæ cera diverſis etiam coloribus picta oblinebatur.* In eo tamen errat, quod

hanc navium exiſtimat fuiſſe picturam, à qua Plinius ipſe diſtinguit. Niſi fortè ad imagines in eis aliquas reſpexit. Neq; alia Demontioſi opinio, ut pariter pòſt obſervavi: *Ceram* ait *ſe putare induratam medicamentis, ex ea deinde factas fuiſſe tabulas, in quibus forma eorum, quæ pingenda eſſent, incidebantur. Tum, quemadmodum in vermiculato opere, in eas formas cavas ceris inditis varij coloris figuras inductas, nullis apparentibus commiſſuris.* Quanquam ſi in cera formæ iſtæ factæ, ut exiſtimat Demontioſus, encauſis fuerit non *cera*, ſicut tamen volunt verba Plinij, *ſed in cera.* Quæ quoq; quomodo tam dura fieri potuerit, ut inuri ſibi paſſa ſit imagines ejuſmodi, haud patet. Fuit ergò planè ratio encauſeos cum cera, qualem diximus. Neq; alia, quæ cum colore. Stylo ignito lineæ inurebantur ebori aut cornibus, quibus imaginem referrent, ut ſuperiùs iam monui. Hoc intererat, quòd linearum ductus in ebore cornuvè minus eſſent profundi, uniusq; tantùm coloris, fuſci ſcilicet aut nigri. Planè ſicut ante paucos annos in thecis corneis, quibus pulverem recondebant tormentarium, in manubriis enſium aut cultrorum corneis oſſeisve fieri conſueverat

verat. Atq; ita quidem hæc pictura ſe habebat in ebore cornuvè. At in vitro fit coloribus pro modo imaginum inductis penicillo, & duratis igne. An apud priſcos notum quoq; fuerit hoc genus, mihi quidem incompertum eſt, certè qui meminerit illius, ſcio neminem. Eſt quidem apud Plinium lib. XXXVI. c. 26. de vitro: *nec eſt alia materia ſequacior, aut etiam picturæ accommodatior*. Sed ibi ſermo eſt de alio picturæ genere, cùm nempè tota vitri maſſa colore aliquo inficitur, & lapidum, marmoris, gemmævè ſpeciem acquirit, uti liquet ex antecedentibus illius loci. Adeò ne iſta quidem ratio tum cognita fuiſſe videtur, quâ hodie tota diverſis inficiuntur coloribus, ut ſint maneantq; pellucida. Qualia deindè adhibent in feneſtris ferè ædium ſacrarum, ac in ſpeciem variarum rerum, roſarum, ſtellarum, & ſimilium componunt. In ferro fit aquis arte ſecretâ præparatis, quæ inductæ ſpeciem habebant auri argentiq;. Et inveniuntur hodieq; cultellariorum, eorumvè, qui enſes, galeas, thoraces ferreos conficiunt, ſic picta opera, igneq; durata. Ferrum politum fit primò lividum, dein pingitur pro arbitrio, deniq; igni admovetur

tur, ut duret. Quanquã vera hujus artis ratio ſit paucis nota, ſtudioſeq; à magiſtris ejus occultetur. Prodiderunt quidem aliqua Alexius Pedemontanus, Andreas Helmreich, aliiq;, ſed tantùm aliqua, ut ſolent in plerisq; talibus. Ea quæ ad ipſum artis exercitium requiruntur, ſive ignorarunt ipſimet, ſive prodere in vulgus noluerunt. Nec ex vetuſtioribus quid diſcas, quibus non exiſtimo fuiſſe notam hanc artem. In fictilibus ſolùm adhibebant. Nam meminit Plinius lib. XXXVI. c. 26. *Agrippa, qui figulinum opus encauſto pinxerit.* Quamquam ibi ſermo de pavimentis eſſe videatur, in quibus tamen ipſis teſtas tali arte potuerunt pinxiſſe, ſicut hodieq; Batavi conſueverunt, pictis iſtiuſmodi teſtis forma quadrata parietes conclavium, præſertim circa ſolum incruſtare. De vaſis legimus apud Athenæum in pompa Philadelphi à Callixeno deſcripta. Nam ibi nominat trecenta generis omnis vaſa, ceræ coloribus picta. Κεράμεα κεκηρογραφημένα vocat, quod propriè ad fictilia pertinet. Erant tamen Philadelphi hæc fictilia picta cera, ut ex græca voce patet, modo, quem in præcedentibus oſtendimus. Hodiè plumbagine pinguntur, aut vena plumbi ci-

nerei

nerei uſta, quod genus *Saffranfarb* Germani nominant. Crevitq; hæc ars in Batavia proximis hiſce annis in tantum, ut quidvis eâ ratione delineent, porcillaneorumq; ſpeciem ac pulchritudinem feliciſſimè non æmulentur modò, ſed & tantum non exæquent. Supereſt ultimum encauſeos genus in auro. Artis hujus ratio eſt duplex, nam aut immittunt ſulcis exſculptis colores, aut in ſuperficie extrema inducto albo, flavo, aut cæruleo fundo, pingunt, quod volunt. Colores pleriq; vitra ſunt, infecta ſingulari ac ſecretâ arte, paucis in Italia tantùm, Galliisq; nota. Ea teruntur aquâ forti magno labore, ablutaq; puris aquis inducuntur metallo, ut immiſſa igni fluant indurenturq;. A fluxu iſto colliquationeque Germani *ſchmelzen*, Belgæ *ſmelten* vocant. Quod non multum abludit ab Italorum *ſmalto*, quo hæc ars ab ipſis appellatur. Gallis eſt *Email*, undè Germani ſuum acceperunt *emalieren*. Quanquam hoc vocabulo ſecundum genus potiùs indigitent. Quod differt à priori partim eo, quoniam colores, præter vitra, habet alios ex quibuſlibet materiis, quæ ab igne difficultèr abſumuntur, partim eo, quoniam colores illi præparantur oleo, ſpicæ

cæ

tæ maximè, pinguntur; penicillo, cùm ad prius illud ſtylus ferreus ſufficiat. Eſt hoc genus alterum prorſus ſingulare, picturisq; artificioſiſſimis idoneum, eoq; magis æſtimandum, quia nullo tempore, nullis aquis, aut ſole corrumpitur. Atq; ideò in magno pretio habetur, ut tabella vix thaleri magnitudine quingentis pluribusq; aliquando imperialibus vendatur. An & veteres tenuerint illius rationem, ignotum eſt. Noſtri vix ante annos quadraginta plenè invenerunt. Nam quæ ante annos centum pluresq; fuit nota uſitataq;, fiebatq; exteriùs illitis tantùm vitris, abſq; pictura imaginum, nec vitris ſolùm, ſed & aliis coloribus maſtiche ſubactis, undè arti ipſi quoq; nomen à Germanis datum, ad poſterioris hujus elegantiam nullâ ratione pertinet, atq; adeò vix in cenſum hunc venire poteſt.

§. 17. *Cæterùm ut hi omnes ſuo modo pingunt, ita nemini laus pictoriæ, vel rectiùs, vel uſitatiùs tribuitur, quàm iis, qui colores inducunt chartis tabulisvè, ac pictores propriè dicuntur.*

Indu-

Inducere hos tabulis colores conſueviſſe, patet etiam ex Plinio, quando de Protogene lib. XXXV. c. 12. ſic ait : *Huic picturæ quater colorem induxit.* Sic Vitruvius lib. VII. c. 5 : *Quis enim antiquorum non uti medicamento, minio parcè videtur uſus eſſe : At nunc paſſim plerumq; toti parietes inducuntur.* Inductio hæc fit, quando colores triti aliove modo præparati illinuntur. Quanquam *illinere* pictores nolint dici, quando colores inducunt, quum id potiùs murariis conveniat, iisq; qui creta, vel rubricâ expoliunt. Obſervare tamen licet etiam de pictoribus ſic locutos eſſe veteres. Apulejus in Apolog : *Quod cera inuſtum, vel pigmento illitum, vel alio quopiam humano artificio aſſimulatum eſt.*

§. 18. *Pictura apud veteres duo primùm genera fuere, Helladicum, & Aſiaticum: poſt, tria facta ſunt, Jonicum, Sicyonium & Atticum.*

Meminit Plinius lib. XXXV. c. 10. qui auctorem quoq; diviſionis poſterioris facit Eupompum : *Eupompi auctoritas*, inquit, *tanta fuit, ut diviſerit picturam in genera tria, quæ*

qua ante eum duo fuere, Helladicum, & quod Aſiaticum appellabant. Propter hunc, qui erat Sicyonius, diviſo Helladico, tria facta ſunt, Jonicum, Sicyonium, Atticum. Liquet autem ex his verbis, genus *Aſiaticum* id ipſum eſſe, quod dein Jonicum appellat, & ex Helladico alterum *Atticum*, alterum *Sicyonium* dictum eſſe. Sed & unde dicta ſint hæc genera, ex iſtis arbitror conſtare, nempè ab auctoribus, qui vel ex Jonia, vel Attica primi eam coluere. Ex Jonia Cleantes, Ardices, & Cleophantus Corinthij, quia Corinthus caput Joniæ: Ex Attica Apollodorus Athenienſis, itemq; Parrhaſius, & qui hos illoſvè deinde ſunt ſecuti. Scilicet fuerunt hi omnes eximij magiſtri. Undè poſteà qui vel hos, vel iſtos in pingendi ratione ſequebantur, genus vel Jonicum, vel Sicyonium, vel Atticum dicti ſunt ſervare.

§. 19. Differunt & pictorum inter ſeſe opera ipſa. Nam alia pictura linearis eſt, alia colorata.

Coloratam hìc appello, non quaſi linearis nullum habeat colorem: Fit enim & ipſa quovis genere coloris, ſed quod unum ferè tantum, atramentum puta, vel

cretam

cretam, vel rubricam, vel hujuſmodi. Deinde quòd hic ipſe color unus non inducitur tabulæ toti, ſed in deſignandis umbris, reliquisq; lineamentis ſolùm adhibetur. Dixi, ferè unum tantùm, quia hodiè inveniuntur, qui utuntur pluribus, nec indecorè. Verùm fieri hoc ſolet rarò, nec in uſu fuit apud veteres, quod ſciamus.

§. 20. *Linearis pictura prima eſt ac antiquiſſima, fitq; lineis comprehendentibus exteriorem pingendæ rei ambitum, intusq; pro umbræ ratione ſparſis.*

Picturæ hujus nomen ſic à lineis formatum eſt, quæ quoniam Germanis appellantur *Riſs*, inde ipſa *das reiſſen* dicitur. Meminit illius Plinius cùm locis aliis, tum maximè lib. XXXV. c. 9. ubi ſimul docet, hanc picturæ cæteræ originem dediſſe. Nominatur aliàs & *graphis* Græcâ imitatione. Vitruvius lib. I. c. 1. ubi loquitur de Architecto, *debere*, ait, *graphidos ſcientiam habere, quò faciliùs exemplaribus pictis, quàm velit, operis ſpeciem deformare valeat*. Non ſolent exemplaria ædificiorum aliter, quàm

E pictura

picturâ lineari, confici, unde & Philander eo loco: *Graphis, linearis deformatio, ſive deſignatio.* Plinius eodem ſenſu uſurpavit, ubi de Parrhaſio lib. XXXV. c. 10: *Multa graphidis veſtigia extant in tabulis ac membranis ejus.* Non poſſunt alia veſtigia intelligi, quàm quæ dixi, alioquin artis ipſius non veſtigia in tabulis extaſſent, ſed ars ipſa. Γραφικὴν ſignificatione ſpecialiori nominavit Athenagoras, ut ex verbis ejus ſtatim adferendis apparebit. Ipſa lineis umbræ hominis aut alterius rei circumdatis, primùm cœpit. Verba Plinij prædicto loco hæc ſunt: *Græci tradunt, picturam repertam, umbra hominis lineis circumductâ. Itaq; talem primam fuiſſe.* Idem ferè tradit Athenagoras in legat. pro Chriſt. autoremq; ejus Saurium quendam nominat. *Umbratilis pictura*, inquit, *inventa à Saurio, equi in Sole umbram circumſcribente.* Quam umbratilem picturam appellavi, *Sciagraphiam* ipſe vocat, quæ vox occaſione primæ inventionis excogitata, hodieq; adumbrationem notat in pictoriis operibus, eſtq; velut initium aut exordium reliquorum, uti loco alio monſtrabimus. Et à lineari, de quâ hoc in loco agimus, diſtincta eſt, quia rudior & inornatior. Interim

rim linearis quoq; prima vetuſtiſſimaq; alia non fuit, ſicut & Quintilianus teſtatur. Qui apertè ait, lineas extremas tantùm in ea pingi conſueviſſe: *Si*, dicit, *prioribus adjicere nefas fuiſſet, non eſſet pictura, niſi quæ lineas modò extremas umbræ, quam corpora in ſole feciſſent, circumſcribit.* Ac initiò quidem ſic pingebant obviis in rebus, poſtea inventæ tabulæ ad id à Cratone, fueruntq; illæ tabulæ cretâ gypſovè dealbatæ. Athenagoras prædicto loco: *Graphicæ pictura inventa à Cratone, in tabula dealbata viri & mulieris umbras delineante. Ubi* γραφικὴν à σκιαγραφίᾳ diſtinguit, quòd hæc fuerit in obvia, illa in certa, & ad id præparata materia, tabella nempè, quam appellat πίνακα λελευκωμένον. Latini communi nomine genus utrumq; ſunt complexi, de quo antè diximus, niſi quod pro σκιαγραφίᾳ dixerint quandoq; *adumbrationem*: quanquam & per illam intellexerint elaboratiorem tamen aliquam, quàm quæ fit ad umbram ſolùm animantis, picturam. Cic. de N. D. I: *Cedo mihi iſtorum adumbratorum Deorum lineamenta atq; formas.* Hîc *adumbrati Dij* ad illuſionem eorum ſic dicuntur, qui picturâ lineari ſic formantur. Quod colligitur cùm aliàs, tum ex adjectis

vocibus *lineamentorum & formarum.* Iis enim uti ad ſignificationem hujus generis ſolebant. Idem Cicero in Bruto: *Similis in pictura ratio eſt, in qua Zeuſin, & Polygnotum, & Timantem, & eorum, qui non ſunt uſi plus quàm quatuor coloribus, FORMAS & LINEAMENTA laudamus.* Cæterùm quia ruditas etiam poſterioris generis erat ſumma, ideo adſcribere vocabula imaginibus ſolebant, ut quid eſſet quæq;, titulo ſaltem noſceretur, uti teſtis Ælianus eſt, lib. X c. 10. Nec diſſimulare poteſt Plinius, ut in notis noſtris ad prædictum Ælianum obſervavimus. Solebat genus hoc picturæ etiam *monogrammum* vocari, ut quòd unâ ſimpliciq; conſtet lineâ, quam capitalem (*hauptſtrich*) noſtri nominant. Nonius c. 1: *Monogrammi dicti ſunt homines macie pertenues ac decolores. Tractum à pictura, quæ prius quàm coloribus corporatur, umbrâ fingitur.* Umbrâ fingi Nonio, quod nobis ſuprà adumbrari, ductis lineis capitalibus. Quod quo pacto fieri apud veteres conſueverit, quiq; verus Nonij ſenſus verborum ſit, ſi quis ſcire cupit, tabulam menſæ Iſiacæ à Pignorio editam inſpiciat; quæ fortaſſis ſola ſupereſt ex antiquitate tota, hujus picturæ ve-

ræ veriſſimum exemplum. Nec fortaſſis aliundè rectiùs licet diſcere; quæ fuerit mens Ciceronis, quando lib. II. de N. D. ad eandem alludens pingendi rationem ait: *Epicurus monogrammos Deos & nihil agentes commentus eſt.* Sunt enim *Dij monogrammi* alio loco dicti ab eodem *adumbrati*, quales pingebantur ab Ægyptiis, umbratiles, tenues, macilenti, ſummasq; tantùm lineas corporum, non ipſa corpora, & vim roburque ullum poſſidentes, dicti à monogrammo, quod unâ lineâ abſolvebatur. *Lineamentum* poſtea vocarunt Latini, id eſt, primum ductum in tabula, quo adumbrat pictor propoſitum ſuum. Plinius. lib. XXXV. c. 10. de non abſoluta Venere Apellis: *Invidit mors peractâ parte, nec qui ſuccederet operi ad præſcripta lineamenta, inventus eſt.* Item cap. 11. de eadem, ſimilibusq; non abſolutis picturis: *In iis lineamenta reliqua, ipſæq; cogitationes artificum ſpectantur.* Ita legas in Philoxene: *lineamentum*, περιγραφὴ εἴδους. Errat autem Dalecampius, quando in notis ad Plinij lib. XXXV. c. 3. hoc genus cum *monocromatibus* picturis confundit, idemq; putat fuiſſe. Nam colorem habent monocromata, uti vel ex voce

noſcitur: At verò monogrammata omninò nullum, ut quæ fiant *PRIUS, quàm pictura coloribus corporatur*, ceu à Nonio eſt dictum. Atq; ita quoq; Iſidorus lib. XIX. c. 12: *Pictores prius umbras quasdam & lineas futuræ imaginis ducunt, deinde coloribus implent.* Cæterùm quod de auctore tradit Athenagoras, diverſum eſt ab eo, quod habet Plinius, quippe cui Philocles eſt, aut Cleantes. *Inventam linearem dicunt à Philocle Ægyptio, aut Cleante Corinthio.* Nempe alius in hoc, alius in illo loco primùm inſtituit. Hic apud Ægyptios, ille alio tempore apud Corinthios, planè ſicut accidit in aliis pleriſq; artibus. Unde dein iſta ſententiarum diverſitas circa earum conditores in hiſtoriis eſt orta. Quod autem ruditatem priſcam attinet, emendata ea pòſt eſt, ſparſis intùs lineis, quæ umbram diſtinguerent à luce, atque ita extantia corpora facerent, magiſq; convenientia naturæ. Habetq; hæc ars Ardicem & Talephanem, alterum Corinthium, alterum Sicyonium autores. Plinius prædicto loco: *Linearem picturam primi invenere Ardices Corinthius & Talephanes Sicyonius, ſine ullo etiamnum colore, jam tamen ſpargentes lineas intùs.* Sine ullo colore dicit, planè ut ex

Nonio

Nonio & Iſidoro antè obſervatum eſt. Ubi tamen per colorem intelligere debemus non quemcunq; , qualis atramenti etiam, aut cretæ, aut carbonis, nam ejuſmodi coloribus pictura linearis fiebat; ſed qui ſimilis ſit rei pingendæ, totiq; figuræ inducatur, quod *implere* Iſidorus, Nonius *corporare coloribus* vocavit. Nam in hoc potiſſimùm pictura linearis diſtincta eſt à colorata, ut jam antè obſervavimus.

§. 21. *Picturæ coloratæ ſunt in duplici differentia: Nam vel illuminationes ſunt, vel picturæ plenæ. Illuminationes fiunt in operibus picturæ linearis, maximè ſi cælo inciſæ ari, chartisq; impreſſæ ſint, adjectione colorum pellucentium.*

Illuminationes voco cum vulgo hoc picturæ genus. Quamquam & *ſententias illuminare* dixerit Cicero in de claris oratoribus, imitatione quadam hujus artis, & proptereà conjunxerit cum pictura verborum. An autem genus totū, quale hodiè in uſu eſt, veteribus etiam fuerit cognitum, mihi quidem parùm compertum eſt. Credo tamen

cùm illo incidendi genere, de quo dixi, natum, quod cùm apud veteres non fuerit in uſu, etiam hoc ignotum videri poteſt fuiſſe. Hodiè peculiares ſuos habet ſectatores, diſtinctos à reliquis pictoribus, & præter gratiam jucunditatemq; , quam affert linearibus picturis, etiam utilitatem præbet, maximè tabulis Geographicis, in diſtinguendis finibus regionum. Ac quia deſcriptis jam induſtriâ & arte magiſtrorum imaginibus colores ſolos ſuperaddit, atq; ſic facilius eſt reliquâ pingendi ratione, ideò ab iis etiam amari ſolet, qui colorum miſcendorum ſolummodò periti, reliqua pictoris ſecreta ignorant.

§. 22 *Picturæ plenæ vel unius ſunt coloris vel plurium.*

Dixi plenas, quia in prædicto genere pars quædam linearis eſt picturæ. At in his omnia ſunt colorata, etiam cùm unus tantùm adhibetur color. Quales picturas Plinius *monochromata* vocavit, & antiquitate coloratas reliquas dixit antecedere. Verba ejus ſunt in XXXV. c. 3: *Secundam* (pingendi rationem, quæ linearem eſt ſecuta) *affirmant extitiſſe ſingulis coloribus & mono-*

monochromaton dictam. Proximè ſecutam ait illam, quam oſtendimus fuiſſe primam. Ergò qui coloribus cœperunt pingere, unum modò adhibebant. Philoſtratus II. vitæ Apoll. c. 10: *Unus color veteribus pictoribus ſuffecit.* Atque hinc monochromatis vocabulum in Plinio non uno loco. Arbiter pro eo poſuit *monocremon.* Verba ejus: *jam verò Apellis, quem Græci monocremon appellant, etiam adoravi.* Ita habet editio Lugduni Batavorum Anno 1645. publicata, quæ ad Burdelotij editionem adornata dicitur. In aliis reperias: *quam Græci monochromon adpellant*, ut ad *tabulam* referantur iſta verba. Verùm pro *monochromon* mallet Gonſalus *monochromaton* Plinii exemplo. Scaliger vult *monocromon*, ut notarum auctor ad Petronium teſtatur. Sed quo pacto Græcis dictum ſit monocromon, non video, neque ubi Scaliger hoc protulerit invenio. Poſtremò rectiùs *monocroon* vel monochroon videtur, à μονόχροον Græcorum, ſi hic ſermo de unius coloris pictura. Ego enim dubito, cùm Apelles quatuor coloribus pinxiſſe dicatur, & hic auctor loquatur de peculiari quadam tabula, Græcè ſic ab argumento nuncupata. Quomodo ejuſdem

Anadyomene, Cereanobolosq́;, Protogenis Anapavomenos, Athemonis Polygyndeon, Socratis Ocnos, Antiphili Apoſcopon appellari ſolebant. Sed & apud Junium in de pictura lib. III. c. 4. pag. 133. in vèrbis iſtis Arbitri *monocnemon* legas editum, non *monocromon*, quod ſuſpicionem noſtram firmat. Monochromata Latini nominant *picturas ſimplicis coloris*. Fabius. lib. XII. c. 10: *Clari pictores fuiſſe dicuntur Polygnotus atq́; Aglaophon, quorum ſimplex color tam ſui ſtudioſos adhuc habet, ut illa propè rudia, ac velut futuræ mox artis primordia maximis, qui poſt eos extiterunt, auctoribus præferantur.* Hic ſanè *ſimplex color* nihil aliud, quàm pictura monochromatos. Fuit autem genus hoc id ipſum, quod ex levi coloris inductione à Germanis *teutſchen*, ex detritione ejus penicillo aqua madente, ac ſic quadam quaſi ablutione Belgis *vvaſchen* dicitur. Falliturq; ſine dubio Demontioſus, qui ſimile exiſtimavit illi generi, quo nunc folia luſoria pinguntur, ideoq́; fieri & pluribus coloribus potuiſſe, modò puri eſſent diſtinctiq́;, nec alij alios aut illuſtrarent, aut inumbrarent, adeoq; lux umbraq; abeſſet. Nam primò luminis umbræq; Fabius expreſſam men-

mentionem facit in picturis monochromatis. Ita enim ait lib. XI. c. 3: *In iisdem partibus iisdemq́ affectibus ſint quædam non ita magna vocis declinationes, prout aut verborum dignitas, aut ſententiarum natura, aut depoſitio, aut inceptio, aut tranſitus poſtulabit, ut qui ſingulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt, ſine quo ne membris quidem ſuas lineas dediſſent.* Adſcripſi locum integrum, ut inde appareret, ſicut variatio in voce eſt, ſic & in illis unius coloris picturis fuiſſe, illoq; uno colore alia eminentiora, alia reductiora eſſe facta, quod non potuit abſq; inumbratione quadam ac illuminatione, quam in monochromatis Demontioſus negavit. Deinde ne in foliis quidem illis iſthæc planè deſunt, ut in quibus pictura linearis umbras habeat, atq; adeò, quod in eis coloratum eſt, pertineat non ad hoc, ſed ad illud genus alterum, quod illuminatio eſt dictum. Deniq; expreſsè veteres ſunt teſtes, adhiberi in his integris totisq; non niſi unicum colorem conſueviſſe. Fuitq; coloris ex teſta trita, quod Cleophantus civitate Corinthius ante omnes alios excogitavit. Plinius ſæpè dicto loco: *Lineares picturas primus invenit colorare,*

lorare, teſtâ, ut ferunt, tritâ Cleophantus Corinthius. Unicum in picturis hiſce colorem ex teſta trita nominat. Succeſſit huic cinnabaris, & is ſolus uniuſq;. Idem auctor lib. XXXIII. c. 7: *Cinnabari veteres, quæ etiamnum vocant, monochromata pingebant.* Dein colores alij, ſed ſemper ſimplices, & ferè rubri, ſive quia conuenit cum colore humano; ſive quia primus auctor ejus tali uſus eſt, cùm teſtæ color ſit ex rubris. Itaq; ſtatim ſequitur in Plinio: *Pinxerunt & Epheſio minio, quod derelictum eſt, quia curatio magni operis erat, præterea utrumq; nimis acre exiſtimabatur. Ideòq; tranſiere ad rubricam & ſinopidem.* Et in Horatio legimus II. Sat. 7. tali ſenſu prælia *rubrica picta.* Neq; alij colores, de quibus interpres vetus Bibliorum eſt intelligendus apud Ezechielem. c. 23. ubi ita habet: *Quumq; vidiſſet vicos depictos in pariete, imagines Chaldæorum expreſſas coloribus.* Nam Caſtalio ſic vertit, *ſculptos in pariete homines conſpicata, Chaldæorum imagines ſinopide impreſſas.* Ubi *ſculptas* vocat, propter lineas altiùs impreſſas rubricâ duriore, velut ſtylo. Græci vertunt ἐξωγραφημένους. Pro *ſinopide*, Lutherus reddidit ſimpliciter, *in rother-farb*, i. e. *rubricâ*, ſeu *colore rubro.* Græci videntur

dentur tranſtuliſſe ἐν γραφίδι, neq; enim habent aliàs illa verba, quo referri queant. Quod ſi verum eſt, non tam monogrammata picturæ illæ putari poſſunt fuiſſe, quàm lineares. Linearis enim picturæ proprium γραφὶς, ut ſuprà indicavi. Tamen & Tremellius cum Junio quaſi de monogrammatis loquuntur, quanquam in colore diſſentiant, vertunt enim: *Imagines Chaldæorum expreſſas indico.* Ubi indicus non intelligendus ille ex cœruleis ferè niger; verùm purpureus, quem laccam vulgò appellamus, Græci λακχὰν. Nam & hunc colorem priſcis indicum vocatum, è Panoplia Zoſimi Salmaſius jam olim demonſtravit. Quod autem Plinius de Zeuxe refert, albo uti conſueviſſe, id peculiare eſt: *Pinxit*, ait lib. XXXV. c. 9. *monochrommata ex albo.* Pingere ex albo, meâ opinione idem eſt, ac picturam velut albam facere, quod eſt difficilius ob rationem contrariam, quia lumen illo, ſicut puto, exprimebat. Ante ipſum in tabellis cretatis pingebant rubro, expreſſis umbris. Ille in tabellis nigris pinxit albo, expreſſo lumine, quod erat difficilius, & ſic peculiariter à Plinio laudari merebatur. Ariſtoteli λευκογραφεῖν videtur di-
ctum

ctum in de Poëtica, licet ibi explicent, *delineare creta*. Atq; hactenus de monocrommatis, ſeu unius coloris picturis. Secuti deinceps plures colores, ſed & illi ab initio tantum quatuor. Philoſtratus lib. XI. vitæ Apoll. c. 10: *Unus color veteribus illis pictoribus ſuffecit, & procedente arte, quatuor erant ſatis.* Plin. lib. XXV. c. 7: *Quatuor coloribus ſolis immortalia illa opera fecere Apelles, Echion, Melanthus, Nicomachus clariſſimi pictores.* & lib XXXV. c. 10. de operibus Apellis ſeparatim agens: *legentes meminerint, omnia ex quatuor coloribus facta.* De operibus Apellis loquitur, ceu dixi, ut ignorem, quare Cicero diſtinguat ab his talibus in Bruto. *Similis*, inquit, *in pictura ratio eſt, in qua Zeuſim & Polygnotum & Timantem, & eorum, qui non ſunt uſi plus, quàm quatuor coloribus, formas & lineamenta laudamus. At in Echione, Nicomacho, Protogene, Apelle jam perfecta ſunt omnia.* Niſi quis exiſtimet, Ciceronem, qui & Nicomacho plures tribuit colores, contra Plinij ſententiam, alios ſecutum eſſe auctores. Quod tamen ipſum quare factum ſit, haud liquet, cùm ætate Ciceronis in manibus oculisq; omnium picturæ illæ adhuc fuerint. Quatuor colores iſti extite-

extiterunt, albus, flavus, ruber, & niger. Plinius: *Quatuor coloribus ſolis immortalia illa opera fecere, ex albis melino, ex ſilaceis Attico, ex rubris ſinopide Pontica, ex nigris atramento.* Silacei colores flavi ſunt, ut loco alio indicabo. Poſt colores illos quatuor, inventi plures, donec ad illam multitudinem eſt ventum, qua dein ars ipſa cœpit laborare, ut poſt Plinium, etiam Philoſtratus notavit.

§. 23 Omnes coloratæ hæ picturæ ſunt iterum coloribus aut humidis, aut ſiccis. His quoq; vel gypſatis, vel lanuginatis, ſicut illis aquâ ſubactis, oleove.

Eſt hæc differentia ex diverſa colorum præparatione, de qua quia rectiùs agetur in inferioribus, hoc totum eo loco referemus. Illud dicere hîc non omiſerim, quòd nulla ejus apud veteres inveniatur mentio, indeque ſit coniiciendi cauſa, quòd non niſi uno genere uſi fuerint picturæ, præter illud, quod coloribus fiebat uſtis, & à nobis eſt relatum in ſuperioribus.

§. 24. *Materia, in qua pingunt, eſt vel mobi-*

mobilis, vel fixa. Hæc parietes te-ctave. Illa eſt vel uſitata vel obla-ta temerè. Uſitata, ut tabulæ, lin-tea, membranæ, chartæ; temerè ob-lata, ut lateres, pulvis, & ejuſmodi.

Pingere in parietibus antiqua conſue-tudo eſt, memoratq; Plinius ante urbem conditam, jam in Italia. Sic enim ait lib. XXXV. c. 3: *Extant hodieq; antiquiores urbe picturæ, Ardeæ in ædibus ſacris, ſimiliter Lanu-vij. Pontius legatus Caij principis eas tollere co-natus eſt libidine accenſus, ſi tectorij natura per-miſiſſet.* Vides, pictos parietes, quodq; hîc notandum venit, ædium præcipuè ſacra-rum. Sic enim et poſteà pictum Romæ templum Salutis à Fabio, item Honoris & Virtutis ab Actio Priſco, uti Plinius teſtatur. Ut de aliis nunc templis taceam. Græci quoq; hoc in uſu habuere, ut Pauſanias nos docet, locis plurimis. Sed & Plinius me-morat antiquiſſimam Apollinis ædem Del-phis ſic ornatam. In ipſo Judæorum tem-plo, quod fuit Hieroſolymis, Cherubino-rum & in parietibus, & in aulæis quædam veluti picturæ. Adeò hæc res antiqua eſt. Quan-

Quanquam Paganorum proprium, pingere in iis res à Deo geſtas, cui eſſent conſecratæ, vel quorumlibet aliorum, aut Heroum, quomodo in templo Eleuſinæ Phylareus heros ex Athenione pictus Plinio memoratur lib. XXXV. c. 11. Pingebantur & loca publica, ut Fora, Porticus, Gymnaſia. Et in illis quidem clara civium facta. Quemadmodum in arce Athenienſium Alcibiadis, non uno loco pictura, & in porticu Pœcile aliorum plerorumq; res præclarè geſtæ extiterunt, ut cùm alij, tum Pauſanias præcipuè teſtatur. In Gymnaſiis Philoſophos ferè pingebant. Qua de re ſic loquitur Sidonius Apollinaris lib. IX. Ep. 9: *Per Gymnaſia pinguntur Areopagitica vel Prytaneum Speuſippus cervice curvâ, Aratus panda, Zenon fronte contractâ, Epicurus cute diſtentâ, Diogenes barba comante, Socrates coma candente, Ariſtoteles brachio exſerto. Xenocrates crure collecto, Heraclitus fletu oculis clauſis, Democritus riſu labris apertis, Chryſippus digitis propter numerorum indicia conſtrictis, Euclides propter menſurarum ſpatia laxatis, Cleantes propter utrumq; corroſis.* In privatis verò ædibus pingebant primò marmorum collocationes, deinde varias columnas, & hujuſmodi, ut

teſtis eſt Vitruvius lib. XII. c. 5. de pingendis ædibus privatis agens: *Antiqui, qui initia expolitionibus inſtituerunt, imitati ſunt primùm cruſtarum marmorearum varietates & collocationes, deindè coronarum & ſilaceorum, miniaceorumq́, cuneorum inter ſe varias diſtributiones. Poſteà ingreſſi ſunt, ut etiam ædificiorum figuras, columnarumq́, & faſtigiorum eminentes projecturas imitarentur.* Ventum eſt poſtremò etiam ad alia libidine pictorum ficta, & monſtroſa, ut tecta calamis, & ædiculas candelabris, & ſigilla tenuibus coliculis ſuſtentata, ſicuti eodem loco diſcitur. Deniq; in ipſis ædibus patentiora loca, velut exedræ, porticus, ambulationes variis regionum imaginibus illuſtrare ſolebant, ſicut conſtat ex eodem, dicto loco, quando inter alia: *pinguntur portus, promontoria, littora, flumina, fontes, euripi, fana, luci, montes, pecora, paſtores.* Videturq; hoc inventum circa tempora Octavij à quodam Ludione. Ita enim Plinius lib. XXXV. c. 10: *Ludio divi Auguſti ætate primus inſtituit amœniſſimam parietum picturam, villas, & porticus ac topiaria opera, lucos, nemora, colles, piſcinas, euripos, amnes, littora, qualia quis optaret, varias ibi obambulantium ſpecies, aut navigantium,*

terraq́

terraq; villas adeuntium aſellis, aut vehiculis. Jam piſcantes aucupantesq;, aut venantes, aut etiam vindemiantes. Sed ut pingere iſta in parietibus ſolebant, ita ſæpè & in tabulis. De quo Plinius eodem loco: *Nulla gloria artificum, niſi eorum, qui tabulas pinxere, eoq; venerabilior apparet antiquitas. Non enim parietes excolebant dominis tantùm, nec domus uno in loco manſuras, quæ ex incendio rapi non poſſent.* Arguere iſtam in parietibus ædium, præſertim privatarum, conſuetudinem videtur, quæ tum magis, quàm antiquis temporibus erat in uſu. Tabulis enim antè utebantur inter ornamenta ædium, ſuſpenſis hîc & illic per parietes. Itaq; ſubjungit: *Nondum libebat parietes totos pingere. Omnibus pictorum ars urbibus excubabat, pictorq; res communis terrarum erat.* Rem communem terrarum vocat, propter tabulas, quæ demi, ac in locum alium transferri poterant. Quemadmodum nobiliſſima Græciæ pictorum opera tanslata Romam à Mummio primùm, captâ Carthagine, ut Vellejus docet lib. I. c. 13. Atq; iſtis quidem tabulis exornabant primùm templa, mox & alia publica loca. Eratq; Romæ quidem prima tabula in templo ſuſpenſa Liberi patris, ab A-

riſtide picta, de qua idem autor lib. XXXV. c. 4: *Cùm in præda vendenda Rex Attalus VI. M. Seſtertiûm emiſſet Ariſtidis tabulam, Liberum patrem continentem, pretium miratus Lucius Mummius, ſuſpicatusq́; in ea aliquid virtutis, quòd ipſe neſciret, revocavit tabulam, Attalo multum querente, & in Cereris delubro poſuit, quam primam arbitror picturam externam Romæ publicatam.* Idem & de locis cæteris, foro maximè teſtatur. Pergit enim: *Deinde video & in foro poſitas vulgò.* Solebant in his locis pictas res à ſe ipſis geſtas quoq; ponere, cujus conſuetudinis auctor M. Valerius Meſſala Romæ fuit. Ille ipſe Plinius: *Dignatio artis Romæ præcipua increvit, ut exiſtimo, à M. Valerio Max. Meſſala, qui princeps tabulam picturæ prælij, quo Carthaginenſes & Hieronem in Sicilia devicerat, propoſuit in latere Curiæ Hiſliliæ, anno ab urbe condita quadringenteſimo nonageſimo. Fecit hic idem L. Scipio, tabulamq́; victoriæ Aſiaticæ in Capitolio poſuit.* Sic hæc verba ſcribo, non: *Fecit hoc quidem*, ut eſt in editis. Pari modo picta munera gladiatoria à ſe data proponere in publico conſueverant; qui mos Terentium Lucanum habuit auctorem, teſte eodem dict. lib. c. 7: *Pingi gladiatoria munera, atq́; in publico*

publico exponi, cœpta à C. Terentio Lucano. Is avo ſuo, à quo adoptatus fuerat, triginta paria in foro per triduum dedit, tabulamq; pictam in nemore Dianæ poſuit. Et quoniam tam frequens tabularum uſus. Inde vulgò *tabula* pro pictura Vellejus l. c. 14: *Maximorum artificum perfectas manibus tabulas*, ait. Sed & Pollux ob hanc cauſam ſolas eas memorat, in quibus pingatur: *Materiæ*, ait, *in quibus pingitur, tabulæ ſunt, aut tabellæ.* Fieri autem hæ apud veteres tabulæ conſueverunt ex lignis, maximè larice fœmina, proptereà, quòd non temerè findatur. Plinius XVI. c. 39. de arbore illa loquens: *Inventum eſt pictorum tabellis immortale, nulliſq; fiſſile rimis.* Laureæ tabellæ mentio eſt apud Libanium in Progymnaſ. ubi habet proſopopœiam de pictore, verba faciente cum tabella ex lauro, quæ recipere colores nolebant. Ligneas haſce tabulas ab initio ſolebant dealbare cretâ, & ſic in eis pingere, quod à Cratone quodam primò inſtitutum ait Athenagoras, in legatione pro Chriſtianis: *Graphicæ picturæ*, inquit, *inventæ à Cratone in tabula dealbata, viri & mulieris umbras delineantis.* Hodiè quoq; non omninò ligneæ tabellæ ignorantur, quas & ipſas o-

lim ante annos centum pluresq; cretâ primùm inducere ſolebant, ſicut liquet ex Dureri, Aldegravij, & ſimilium tabellis. Frequentiùs tamē pingitur in æreis cupreisve. Quod veteribus non fuit uſitatum, niſi quatenus in clypeis pingebant. Id quod vetuſtiſſimis temporibus ſolebant, memoratq; circa olympiadem nonageſimam Plinius Phidiam quendam, qui hoc faciebat. Idem ante nominat & Panæum, *in confeſſo*, inquit, *eſt, octogeſima tertia olympiade fuiſſe Panæum, qui clypeum intùs pinxit.* Traxitq; hæc res originem à ſculptis olim imaginibus in eis, illorum, quorum uſibus inſerviebant, quod jam Trojanis temporibus habuerunt in uſu. Velut ex ejuſdem lib. XXXV. c. 3. cognoſcimus, quo & nomen inde ſcribit accepiſſe. Nempe clypeos ſic dictos cenſuit ἀπὸ τοῦ γλύφειν, quod exſculptæ in eis imagines eſſent, ut jam Dalecampio notatum. Neq; aliundè clypeus Achillis apud Homerum, Herculis apud Heſiodum Poëtas antiquiſſimos nata. Pingere noſtri & in plumbeis tabulis ſolent contra morem veterum, & in eburneis, quod in ſolis encauſticis apud eos fuit uſitatum. In primis verò lintea nunc adhibentur. Quæ ratio circa tempora Ne-

ra Neronis inventa primùm videtur, cùm ſe Colloſſeum vellet pingi. Plinius XXXV. c. 7: '*Nero princeps juſſerat Coloſſeum ſe pingi centum viginti pedum in linteo, incognitum ad hoc tempus.* Vides, incognitam ad id tempus fuiſſe hanc in linteis pingendi rationem, & inventam propter magnitudinem picturæ. Meminit & illius Johannes Grammaticus ex antiquis interpretibus Ariſtotelis ad II. Nat. Auſc: *Pictor*, ait, *hoc perpetitur, vel quia colores, vel quia linteum in quo pingit, minùs eſt idoneum.* Præter iſta uſurpantur etiam membranæ. Et jam apud Plinium Parrhaſij picturæ in membranis leguntur lib. XXXV. c. 10: *Multa*, inquit, *graphidis veſtigia extant in tabulis & membranis ejus, ex quibus proficere dicuntur artifices.* Galenus de uſu part: *Memorem te facere tentabo pictorum, maximè quando in albis membranis pingunt.* Ita *Draco in longiſſima membrana pictus* apud antè dictum Plinium lib. XXXV c. 11. Architectis hoc ſolenne fuiſſe videtur, ut delineationes facerent in membranis. Gellius XIX. c. 10: *Aſſiſtebant fabri ædium complures, balneis novis moliendis adhibiti; oſtendebantq; depictas in membranulis varias ſpecies balnearum.* Et hæ quidem uſitatæ ſunt ma-

 teriæ.

teriæ. Aliquando, cùm quid eſſet ex inopinato pingendum, fortuita accipiebant. Ex his lateres, in quali pinxiſſe imaginem urbis Hieroſolymitanæ Prophetam Ezechielem ab initio hujus opuſculi monſtravimus. In menſa quoq; pictum vino. Qua de re Tibullus lib. I. & 10:

Mihi potanti poſſit ſua dicere facta
Miles, & in menſa pingere caſtra mero.

Deniq; & in pulvere hoc fiebat baculo, de quo extat Ulyſſis ad Calypſum, errores enarrare jubentem, apud Ovidium in II. de arte, verſ. 125. & ſequentibus, ubi inter cætera Poëta:

Illa levi virga (virgam nam fortè tenebat)
Quod rogat, in ſpiſſo littore pingit opus.

Similiter & Pompilius ad Antiochum à Pop. Romano miſſus virgâ circum Regem pinxit circulum, & priuſquam eo excederet, reſponſum dare juſſit, ut præter Maximum Valerium, Appianus, & Plutarchus teſtantur. Mathematicis Geometriſque nil frequentiùs, uti vel ex Martiano conſtat, apud quem Grometria habet *menſam hyalini pulveris reſperſione coloratam, rem de pingendis deſignandisq; oportunam formis, ubi depingitur, quicquid verbis viſum nemo valeat expli-*

explicare, ſicut habent verba ejus lib. VI. Ita deprehenſus Archimedes captis Syracuſis *intentus formis, quas in pulvere deſcripſerat*, Livio lib. XXV. c. 31. auctore.

§. 25. Inſtrumenta ſervientia huic arti ſunt, nonnulla, quibus confici picturæ ſolent, alia quibus ſuſtineri. Hæc ſunt plutei ac formæ; illa carbones, plumbago, creta, pennæ, ſtyli, penicilli, ſpongiæ.

Pluteos appello, iſta ſuſtentacula, in quibus reponi tabellæ ſolent, dum pinguntur. Miniſtros vulgò, ſive gerulos *die Knecht* appellant. Erantq; etiam apud Veteres in uſu, ſicut ex Polluce diſcimus, qui ὀκρίβαντος & κολύβαντος apud Græcos ait habuiſſe nomen. *Id*, inquit lib. VII. c. 20, *in quo, cùm pinguntur, innituntur, lignum eſt tripes, & Ocribas, aut Colybas dicitur.* Plinius latinè *Machinam* vocaſſe videtur lib. XXX. c. 13. iſtis verbis: *Tabulam magnæ amplitudinis in machina aptatam picturæ anus cuſtodiebat.* Formæ verò ſunt, quibus lintea ſervantur explicata, ut in iis velut ligneis tabellis poſſit pingi. Quatuor ex bacillis à

capitibus inter ſe quadratâ figurâ junctis fiunt, eâ magnitudine diſtantiaq́; , ut capere linteum queant. Quod deinde trajectis per extremas oras filis formæ alligatur. An & hæ in uſu fuerint antiquis, non compertum eſt, niſi machinam Plinianam de hac mavis intelligere. Quamquam eò minùs dubio ſit locus, quo absq; iſtiuſmodi quocunq; deniq; adminiculo in linteis pingi, commodè minùs poteſt. Cæterùm hæc tantùm valent in majoribus picturis, in minoribus, & quæ in chartis tantùm, aut membranis fiunt, non ſunt neceſſaria. Nam aut glutine affigi tabulis levigatis, aut ſi ſeparatim faciendæ in extremis tantùm firmari oris ſolent, ut exſcindi poſſint. Alij membranam aquâ, cui parumper pollinis admixtum ſit, in una parte madefactam vitro planiſſimo, quale quod ad ſpecula uſurpatur, imponunt affiguntq́; , ac eandem finitâ picturâ facili negotio ſeparant, propter vitri levitatem. In ſecundo genere inſtrumentorum primò ſunt carbones, iis enim ductus picturarum adumbrari ſolent. Fiunt hodiè peculiari ratione. Ligna duriora, betulæ, coryli, euonymi findunt in baculos longos ad manûs longitudinem, tenues tereteſq́;,

inſtar

inſtar pennarum calamorumve; illos tubo ex lamina ferrea pedis ferè longitudine confecto inſerunt, magnisq; viribus utrinq; conſtipant, mox ora tubi claudunt luto figulino, eoq; ſiccato igni committunt, donec totus candefiat. Tum extractum igni, ſuaq; ſponte frigefactum, dempto luto aperiunt, carbonesq; longos teretesq; eximunt, idoneos pingendis primis lineamentis figurarum. An & veteres carbonibus ſint uſi ad hoc genus, ſatis non eſt certum. De Apelle quidem Plinius teſtatur, quod arrepto carbone extincto è foculo imaginem delineaverit illius, qui eum joco ad cœnam Regis Ptolomæi invitaſſet. Sed hoc ſubitaneum fuit opus, nec delineatio ſolummodò, qualem nos hîc intelligimus. Neq; certius quid colligas ex illis Horatij II. Sat. 7. ubi pariter fit mentio carbonis, nam & ipſe de abſoluta loqui pictura videtur:

—— —— Contento poplite minor
Prælia rubricâ pictâ, aut carbone, velut ſi
reverâ pugnent, feriant, vitentq; moventes
arma viri —— —— ——

Aliqui carbonum loco adhibent plumbaginem ligno incluſam, aut pennæ anſerinæ. Sed ipſius uſus paulò moleſtior, incipienti-

pientibus præſertim, quia difficiliùs deletur, unicaq; tantùm ratio eſt idonea, ſi medulla panis triticij recens cocti teratur. Illa lineas extingvit. Atq; iſta quidem in tabellis albis, chartis, membranis, & hujuſmodi adhibentur. At in nigris, aliove colore velut fundo pictis, creta uſurpatur iſto fine, aut ceruſſa. Pinxerunt & antiqui cretâ, ut colligimus ex Philoſtrato, qui Æthiopis aut Indi cretâ picti absq; ullo alio colore facit mentionem lib. II. vitæ Apollonij c. 10. Sed & illa elaboratior pictura fuit, non ſciagraphia tantùm. Quanquam cùm ad talem adhibuerint, haud difficulter credi poſſit & de altera. Picturæ perfectæ hac ætate fieri vel pennâ ſolent vel penicillo. Pennæ ſunt ex avibus, è quibus nulla idoneas magis præbet, annate ferâ, cùm propter decentem magnitudinem, tum propter ſoliditatem ac duritiem. Veteres pro eis calamo ſunt uſi, ut opinor, aut ſtylo ferreo: hoc in tabulis ceratis, illo in dolatis. Quales opinor fuiſſe, quarum ut ſolennium ad picturas, maximè lineares, meminit Plinius lib. XXXV. c. 20: *Pamphyli autoritate*, inquit, *effectum eſt, Sicyone primùm, deinde & in tota Græcia, ut pueri ante omnia diagraphicen,*

hoc

hoc eſt, picturam in buxo docerentur. Buxum, pro tabellis buxeis uſurpat, in quibus politis, ſcribere calamo ſolebant, atq; ſic & pingere, præſertim diagraphicē, quam accipio pro pictura lineari, quæ rerum imagines utcunq; reddit, ſine anxia lucis tenebrarumq; denotatione, planeq; iſta *hoc eſt pictura* ex gloſſemate in textum irrepſiſſe puto. Atq; in his quidem tabulis utebantur calamo, ut in ceratis ſtylo ferreo, aut oſſeo, quod fortaſſis fieri & in gypſatis ſolebat, lineis non inciſis, verùm pictis. Quò neſcio annon reſpexerit Virgilius in III. Bucol. Ecl. eo verſu:

Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem.

Sabinus certè ita ait eo loco: *Radio*, hoc eſt, *ſtylo, quia antiqui ſtylo pingebant, antequam uſus penicilli haberetur.* Meminit & Macrobius hujus generis VII. Satur. 2: *Libenter*, ait de iis, qui ex locis peregrinis veniunt, *interrogati reſpondent, & deſcribunt modò verbis, modò radio loca, glorioſum putantes, quæ ipſi viderint, aliorum oculis objicere.* Radio & ipſe ait, hoc eſt, Sabino interprete, ſtylo in ceratis aut gypſatis tabulis, ſicut hodieq; pingere in tabulis ejuſmodi ſtylo radiove cupreo vel argenteo ſolemus. Niſi

quòd

quòd pro tabellis iſtis gypſatis, peculiari quoq; ratione præparatâ utantur chartâ. Nam oſſa ovium in vaſe figulino benè uſta contundunt in pulverem, eoq; chartam terunt. Ita ei, velut tabulæ gypſatæ, quidvis ſtylo æreo argenteove inſcribitur. Venio ad penicillos. Ij ſic à priſcis dicti, quod, auctore Cicerone, *penem* caudam dicerent. Nam ex caudis facere ſolebant, ſicut hodieq; fiunt, eratq; apud illos cauda bubula præſertim utilis. Undè verſus Afranij Scaligero laudatur in Virgilij Moretum:

Lares ludentes peni pinxit bubulo.

Adhibebatur tamen & ſeta, uti liquet ex collatione Plinij cum Vitruvio. Nam quòd Vitr. lib. VII. c. 7. ait: *Ceram punicam igni liquefactam paulo oleo temperatam, ſeta inducunt*: id Plinius his verbis reddit lib. XXXV. c. 11: *Tertium genus reſolutis igni ceris penicillo utendi.* Uterq; de Encauſtices tertio genere loquitur, quodq; in pingendi ejus ratione alter *ſetam*, id *penicillum* alter vocat. Imò ipſe Plinius, quod hic dicit *penicillum*, lib. XXXVII. c. 7. *ſetas* appellat, ut de penicillis ex ſetis nemo dubitare queat. Etiam hodiè ſetis utuntur in penicillis, verùm craſſioribus & rudioribus. In cæteris

ris minoribus pilos adhibent è caudis viverrarum, aut ſciurorum. Abſciſſi forfice in tanta copia, quanta ſingulis ſufficit penicillis, altera preſsè tenentur manu in extremitatibus ſuis, altera quod admixtum habent lanuginis, baculo excutitur. Deindè immittuntur tubo chartaceo craſſioris chartæ, ut ad menſam planumvè aliud percuſſi agitative, conſtituantur æquales, nec pilus unus alterum promineat. Poſteà humectati, filo ſerico tenuiſſimo arctè colligantur. Ad poſtremum pennæ ſive anſerinæ, ſive anatum, minorumvè avium, prout parvi magnivè debent eſſe penicilli, aquis tepentibus maceratæ, ac in mucrone paululum refectæ, immittuntur ab adverſa parte, ut bacillo adacti per hoc in mucrone factum foramen decenter promineant. Hæc confectio penicillorum eſt in noſtro orbe uſitata. Nam Sinenſes facere ex pilis leporinis ſolent, ut teſtantur, qui de rebus eorum quid memoriæ prodiderunt. Græcis penicilli ſunt γραφεῖς, ut nos Pollux docet. Γραφεια nominavit Sextus Philoſophus in verbis, quæ deindè afferam. Facere illos quis docuerit initiò, incertum eſt. Nam quod in diſſertatione Germanica de pictura id

ra id Apollodoro tribuit Harsdorferus, id venire ex non benè inſpectis verbis Plinij videtur, qui de eo ita ait: *Primus gloriam penicillo jure contulit.* Hoc enim non ad inventionem penicilli, verùm uſum eruditum Plinius pertinere voluit. Ultimum, quod ad picturas pertinet, eſt ſpongia, quâ ſi quid minus rectè ſe habeat, deletur. Uſurparunt & antiqui, uti patet exemplo Protogenis, canem ſpumantem pingere fruſtrà tentantis, de quo Plinius XXXV. c. 10: *Spongiam impegit inviſo loco tabulæ, & illa repoſuit ablatos colores.* Dicit ablatos colores, delendo ſcilicet, quòd diſplicuiſſent. Et præceſſit, *abſterſerat.* Idem ſpongiæ mentionem facit, in ſimili Nealcis caſu: *Succeſſus*, inquit, *ſpongia impacta ſecutus dicitur.* Meminit & Sextus Philoſophus in tali eventu lib. I. Pyrrh. c. 12. Verba ſunt de Apelle, Φασὶ τὴν σπογγιὰν, εἰς ἣν ἀπέμασσε τὰ ὑπὸ τοῦ γραφείου χρώματα, προσεῤῥίψαι εἰκόνι. *Ajunt, ſpongiam, in quam abſtergebat penicilli ſui colores, in illam imaginem impegiſſe.*

§. 26. *Atq; iſta quidem ad picturas pertinent. Quas ut feliciùs conficiant,*

picto-

pictores ipſi adjumenta quædam adhibent. Nam viſum quidem rebus juvant virentibus manus virgâ ſeu bacillo.

Virgam eam hîc intelligo, quâ in picturis majoribus ad ſuſtentationem dextræ uti conſueverunt, quo & laſſa minùs fiat, & certiores rectioresq; ducat lineas. Veteribus in uſu fuiſſe non invenio, nec tamen multum ambigo, quia pingi absq; hoc ſuſtentaculo vix poteſt, in tabulis, in machina erectis parietibusvè, quod tamen veteres fecerunt. At illud alterum uſurparunt. Plutarchus in de Herodoti malig: *Pictores oculis defeſſis ad floridos & virides ſe convertunt colores.* Adhibuerunt autem tali fine terga maximè ſcarabæorum, ſi audimus Iſidorum, qui de hac re ita lib. VI. c. 11: *Gemmarum ſculptores ſcarabæorum terga, quibus nil eſt viridius, ſubindè reſpiciunt, & pictores idem faciunt, ut laborem viſus, eorum viriditate recreent.* Videtur hoc ex Plinio habere, qui omiſſa tamen mentione pictorum, ita hac de re lib. XXIX. c. 6: *Scarabæi viridis natura contuentium viſum exacuit. Itaq;*

gemmarum ſculptores contuitu eorum acquieſcunt. Equidem Marcellus etiam de Scarabæis VIII. de Med: *Scarabæus coloris ſmaragdini tantùm beneficij oculis præſtare dicitur, ut viſionem ei acutiſſimam reddat, qui eum contemplatus fuerit aſſiduè.* At Galenus fuſcis & cæruleis firmaſſe aciem oculorum ſcribit X. de uſu part: *Pictores*, inquit, *quando in albis membranis pingunt, viſus eorum celerrimè laborat: Illi hoc animadvertentes cæruleos & fuſcos proponunt colores, ad quos aſſiduè reſpicientes viſum ſuum reficiunt.* Inveniuntur hodiè, qui pro his omnibus contueri ſpecula malunt, plusq; eâ ratione contendunt juvari, quàm colore qualicunq; deniq;.

§. 27. Diximus de adminiculis & inſtrumentis artis. Quam ut horum ope ad optatum ducat finem, picturamq; magiſter decentem conficiat, octo mihi neceſſaria videntur, Argumentum, delineatio, proportio, menſuratio, lumen & umbra, motus, gratia, & color.

Scio,

Scio, alios alia requirere. Politianum tria in Panepiſtemone: Dimenſionem, colorem, & umbram. Totidem Cardanum lib. XVII. Subt: *Picturæ*, inquit, *partes tres ſunt; delineatio, umbra, atque color.* Totidem Baptiſtam de Albertis lib. II. de pictoria: *Picturam*, ait, *circumſpectio, compoſitio, & luminum receptio perficiunt.* Voſſius in Graphice requirit quatuor: Argumentum, diſpoſitionem, in qua ſymmetria; colorem, in quo lumen & umbra, item ſplendor & opacitas; ac denique, motum ſive geſtum. Junius ſex in III. de Pict. 1. Inventionem ſeu hiſtoriam, proportionem ſive ſymmetriam, colorem & in eo lucem & umbram, candorem & tenebras, motum & in eo actionem & paſſionem, collocationem ſeu œconomiam, & deniq; gratiam. Verùm omnes aut confundunt quædam inter ſe, quæ non debent, aut omittunt exiguntvè, ſicut in ſequentibus patebit. Nos omiſſis ipſis videamus, quid per ſingula, quæ exigimus, intelligendum ſit, quo item modo comparari debeant, & obſervari in picturis.

§. 28. Primum argumentum eſt, quod

 appel-

appello rem pingendam, ingenio judicioq́ pictoris decenter inventam aut diſpoſitam.

Argumentum meritò inter partes hujus artis recenſeri, docet ex Demetrio Phalereo, auctoritate Niciæ pictoris, Voſſius in Graph. 24: *Demetrius ipſe*, ait, *putabat, argumentum ipſum partem eſſe artis pictorum.* Idem quoq; Junio eſt obſervatum, qui haud pauca de hac parte habet. III. de Pict. 1. Verùm quæ uterq; prodit, pertinent ſolummodò ad genus unum iſtiuſmodi argumentorum, ad hiſtorias videlicet, & res geſtas, de cæteris nil dicunt. Obſervandum ergò, duo eſſe genera argumentorum, quæ pingenda veniunt; aliud, quod pendet totum ab ingenio pictoris; aliud, quod ad certa conſtrictum eſt exemplaria. Illud, cùm exempli gratia hiſtoriæ aut fabulæ pinguntur, aut imagines Deorum Dearumvè, aut figuræ emblematicæ: Hoc, cùm imitandæ res naturales artificialesvè certæ, ac *iconicæ picturæ*, ſicut Plinius appellat, vulgus *contrafacturas* nominare ſolet, faciendæ. In primo genere admodum neceſſarium ingenium pictoris eſſe ac judicium, quis ambigat?

gat? Oſtenduntq́; laudatiſſimæ veteribus picturæ, ut Timantis Iphigenia, & Cyclops dormiens, de quo poſteriore, Plinius XXXV. c. 10: *Sunt & alia ingenij hujus exemplaria, velut Cyclops dormiens in parva tabella, cujus & ſic magnitudinem exprimere cupiens pinxit juxta Satyros, tyrſo pollicem ejus metientes.* Addit deinde: *In omnibus ejus operibus intelligitur ſemper plus, quàm pingitur, & cùm ars ſumma ſit, ingenium tamen ultra artem eſt.* Ejusdem generis, quod Nicearchus Nilum picturus, quia ejus aquam à fluminis alterius diſtinguere non potuit colore, crocodylum appinxit, de quo Auctor idem dicti libri c. 11. & ideò Nicearchum *ingenioſum & ſolertem* in arte nominavit. Plinius hanc artem appellare *diſpoſitionem* videtur lib. XXXV. c. 10, ubi de Appelle: *Cedebat Amphioni de diſpoſitione, Aſclepiodoro de menſuris, hoc eſt, quando quid à quo diſtare deberet.* Sed ut neceſſarium in his ingenium, ita neque, ſi quis non de ſuo cuncta formare, ſed exemplis uti, & ex pluribus aliorum, unam ſuam componere tabulam volet, ingenio eſt opus planè nullo. Quando ſeligenda optima convenientiſſimaq́; argumẽto cum cura, componenda cum judicio, im-

mutanda quoq; ſæpius cum decoro. Ita Zeuſis Lucinæ Veneris apud Crotoniatas imaginem picturus, ex quinq; pulcherrimis civitatis ejus puellis, optimas ſelegit perfectiſſimasq; partes, ac in Veneris unius transtulit picturam. Sed in illo genere, cum iconicæ fieri picturæ debent, parum putet quispiam requiri. Scilicet res depingendæ ſunt, ut naturâ ſuâ ſeſe habent. Canis hîc, aut equus, aut homo ſuis exprimendus eſt coloribus, non ergò videor juvari quid ingenio meo poſſe. Verùm eſt & hîc nonnullus ipſi locus. Primum enim rerum omnium gratia non eadem, ſive hoc, ſive iſto modo adſpiciantur. Aliæ jucundiores in fronte, aliæ à tergo, aliæ à lateribus, aliæ ſi ſtent, aliæ ſi cubent, aliæ ſi in alto, aliæ ſi in depreſſo humiliq; collocentur. Ergò iſta, ſicut decet, ſeligere ac ordinare, res profectò eſt judicij non minimi. Sic picturus cubum, non à fronte ipſum, ſed à latere adſpiciendum collocabit. Illo enim modo nihil propè habet, quod repræſentet. Neq; hoc in iis ſolùm valet, quæ moveri poſſunt, verùm & cæteris, quæ non poſſunt. Ut in ædificiorum, hortorum, villarum, regionum, picturis, quæ pro diverſitate iſta ſæpè prorſus

ſus aliæ videntur. Deinde rerum aliquarum ea interdum eſt conditio, ut repræſentari quovis modo nefas ſit, aut periculoſum indignumvè. Obſervavit in Antigoni pictura judicioſiſſimus Apelles. Nam cùm orbatus eſſet lumine altero, id vitium in tabula exprobrare illi noluit, ſed ingenioſo invento, dum obliquum collocat pro recto, egregiè diſſimulavit, uti Plinius XXXV. c. 13. & alij prodiderunt. Atq; hac in parte ſingularis fuit laus Timantis, de quo antè dixi. Neſcio annon quoq; Pamphili Melanthiiq;, quos à *ratione* Fabius (non *curâ*, uti Voſſius, memoriâ, ut puto, lapſus ait) commendavit. Ratio namq; vix videtur alia in pictura, quàm de qua nunc agimus. Ante ea verò, quæ in argumento quovis ex ingenio pictoris adhibenda, primum eſt, ut de tali cogitet, quod ingenio ipſius eſt conveniens. Nam alij ad iconicas picturas, alij ad hiſtorias ſunt aptiores; & ex ipſis iconicis, alij homines, alij alia rectiùs feliciùsq; pingunt. Quomodo de Pyreico docet Plinius, quòd opſonia optimè pinxerit: *Tonſtrinas, inquit, ſutrinasq; pinxit, & aſellos, & opſonia, ac ſimilia, ob hæc cognominatus Rhyparographos, in iis conſummatæ voluptatis: quip-*

pè eæ pluris venére, quàm maxima multorum. At verò alij pingere talia non potuere, excelluerunt in hominibus, vel rebus aliis. Idem paulò pòſt, de Serapione loquens: *Hic ſcenas optimè pinxit, ſed hominem pingere non potuit. Contrà Dionyſius nihil aliud quàm homines pinxit, ob id anthropographos cognominatus.* Nicias excelluit in quadrupedibus undè Plinius lib. XXXV. c. 1. de ipſo: *Huic quidem adſcribuntur quadrupedes. Proſperrimè canes expreſſit.* At equos ſine æmulo pinxit Calamis, ut docet idem lib. XXXIV. c. 6. Sed & alij ſeriis gravibusq; rebus pingendis incumbunt ſucceſſu meliori, alij jocoſis, quod poſterius genus *gryllos* appellarunt, manetq; idem illis hodieq; vocabulum. Plinius poſt prædicta de Antiphilo: *Idem jocoſo nomine Gryllum ridiculi habitûs pinxit. Undè hoc genus picturæ Grylli vocantur.* Liquet, quid veteribus ſignificarint *grylli*, homines nimirum habitûs ridiculi, quales primùm pingere Antiphilus inſtituit. Sunt, qui pingendis tantùm villis, & ſimilibus excellunt, quod genus Ludium aliquem auctorem habet, temporibus Auguſti repertum. Plinius eodem loco de Ludio diſſerens: *Primus inſtituit amœniſſimam parietum pictu-*

picturam, villas & porticus, ac topiaria opera, lucos, nemora, colles, piſcinas, euripos, amnes, littora, qualia quis optaret, varias ibi obambulantium ſpecies, aut navigantium, terraq́ villas adeuntium aſellis aut vehiculis. Diſcimus, picturas iſtiusmodi vocaſſe *opus topiarium*, eſſeq́; prorſus illud, quod Germani vulgò *Landſchafften* appellare conſueverunt. Nominatum cenſeo à Græco τόπος, id eſt, *loco*, quia ſpeciem ſitusq́; locorum variorum exhibebat. Scio, eſſe alios in alia ſententia, interq; illos Turnebum ſic de opere topiario: *Topiarium opus à topiis, quæ à funiculis nomen obtinuerunt, quibus frutices & arbuſculæ tonſiles in animalium aut rerum hiſtorias luculentâ varietate aſſimilata, religata, & nullis hinc indè diſtinguuntur locis, torquentur, flectunturq́, ad effigienda, quæ luduntur, rerum & animantium argumenta.* Sed huic expoſitioni obſtat, quòd opera topiaria Plinio expreſsè dicantur *picturæ in parietibus*, non frutices tonſiles, funiculis religatæ, tortæ, flexæ in effigiem animalium. Atq́; ſic Vitruvius etiam lib. V. c. 6. ubi ſcenas ſatyricas oſtendit ſic fuiſſe pictas. *Satyricæ*, ait, *ornantur arboribus, ſpeluncis, montibus, reliquisq́ agreſtibus rebus in topiarij operis ſpeciem deformatis.*

Dicit, talia deformata in ſpeciem operis topiarij, hoc eſt, ita picta, velut conſtituerent regiones aliquas. Idem evidentiùs lib. VII. c. 10: *Poſteà ingreſſi ſunt, ut varietatibus topiorum ornarent ab certis locorum* (non funiculorum, ut Turnebus, & cum eo Voſſius exiſtimant) *proprietatibus imagines exprimentes. Pinguntur enim* (non religantur, torquentur ut Turnebus vult) *portus, promontoria, littora, flumina, fontes, euripi, fora, luci, montes, pecora, paſtores &c.*

§. 29. *Conſequitur hanc artem pictor, partim bonitate ingenij ac naturæ, partim rerum variarum contemplatione ſtudioſâ, vitæq; humanæ uſu.*

Per ingenij ac naturæ bonitatem, phantaſiæ vim intelligo ad inveniendum, & judicij ad ordinandum, quod eſt in pictura elegans & decorum. Nam revera ſine his duobus argumentum nullum proponi ritè poteſt. Ac de phantaſia quidem teſtis etiam Philoſtratus in proëm. Icon. quando ait: *Pingendi ars cognationem quandam cum poëſi habet, nam utriq; communis aliqua phantaſia*

taſia ineſſe videtur. Adde, quæ de ea pluscula collegit Junius I. de Pict. 4. Atq; valuiſſe iſtâ parte apud veteres Theon Samius præcipuè videtur, de quo Fabius XII. c. 10: *Floruit concipiendis viſionibus, quas phantaſias vocant, Theon Samius.* Cavendum autem eſt in phantaſia, ne per eam delabamur ad prodigioſa & impoſſibilia. Nam ut ex Longino docet Junius: *In pictoria phantaſia præſtantiſſimum, actionis poſſibilitas, & inſita veritas.* Quanquam quæ Longinus de Rhetorica phantaſia prodit, Junius ad Pictoriam transtulerit, ut facit in pleriſq; locis aliis auctorum, quod eſt obſervandum. Cæterùm & Vitruvius oſtendit, repræhenſum Apeturium Alebandæum ob hoc vitium, quod in ſcæna minuti theatri centauros, epiſtilia tenentes, & id genus, ſupraq; eam epiſcenia pinxiſſet. Rem latiſſimè proponit lib. VII. c. 5. quam lege. Judicij quoq; in ordinandis rebus paſſim meminerunt veteres, niſi quòd ſub nomine ingenij de eo malint agere, & à phantaſia diſtinguere. Quemadmodum à Fabio factum, qui cùm Thaonem iſtâ parte laudaſſet, poſteà ſubjungit, *ingenio Apelles eſt præſtantiſſimus.* Rerum variarum contemplatio, quam dixi, conſi-

conſiſtit non in picturarum modo creb â contuitione, conſideratione, examinatione, quæ à præſtantiſſimis magiſtris ſunt elaboratæ; ſed & artificialium & naturalium rerum inſpectione ſtudioſa. De priori patet, uſitatam fuiſſe apud veteres. Legimus namq; apud Plinium lib. XXXV. c. 10. *ex Zeuxidis tabulis ac membranis proficere artifices conſueviſſe.* Sic Quintilianus X. c. 11: *Pictores opera priorum in exemplum intuentur.* Et ob cauſam hanc *picturæ ſtudioſos cognoſcere Apellis, Protogenis, Antiphili tabulas* ſcribit Theon. c. 1. Progym. licet neget hoc ſufficere. Neq; alterum neglexerunt, quod Apellis patet exemplo, qui ſine eo nunquam elegiſſet Campaſpen, Alexandri Magni pellicem, ad cujus imaginem Veneris Anadiomenes tabulam formaret. Uſus vitæ humanæ poſitus eſt in intellectu rerũ, actionum, motuum, cujusq; pro ratione temporis, loci, perſonæ, legum, conſuetudinum convenientium: Ne quid præpoſterè, abhorrensvè vel à moribus publicis privatisq; pingatur. Ut ſi Romanus in pallio, Græcus in toga, hi imberbes, illi barbati formentur. Conſequetur pictor hoc diligenti obſervatione antiquitatis, monumen-

mentorum, lapidum, nummorum, gemmarum, & ſimilium; quæ bonâ copiâ habentur in antiquitatibus Boiſſardi, Goltzij, Urſini, Gorlæi & reliquorum. Eſt & rerum naturalium cognitio hîc utilis, ne quid fiat, quod naturæ repugnet. Sicut apud veteres Niconi optimo pictori accidit, quando cilia utriſq; equi palpebris appoſuit, qui habere tantùm in ſuperioribus conſuevit, uti Ælianus auctor eſt, VI. Anim. 30. Similiter pictorem Batavum memini lapſum in pictura anatis volantis pedibus protenſis, gruum aut ciconiarum more, contra naturalem ejus conſuetudinem; & Germanum in pictura urſi, pedem utrumq; lateris unius inter ambulandum elevantis, quod non poteſt quadrupes. Deniq; ex diſciplina morum ac Philoſophia quoq; conducentia huic parti poſſunt trahi. Ut ne hujus quidem non peritum eſſe certo modo pictorem oporteat. Sanè quid honeſtum, decens, aut conveniens cuiq; rei ſit, intelligi perfectè, niſi hujus quodam beneficio, vix poteſt. Ut omittam interim eas cauſas, ob quas exigit in architecto ſuo Vitruvius lib. I. c. 1. & exigi in pictura quoq; poteſt. *Nam Philoſophia,*

inquit,

inquit, *perficit artificem animo magno, & uti non ſit arrogans, ſed potiùs facilis, æquus, & fidelis, ſine avaritia, quod eſt maximum. Nullum enim opus verè ſine fide & caſtitate fieri poteſt.*

§. 30. Secundum eſt Delineatio, quam voco rerum pingendarum juſtam conformationem, lineis ratione legitimâ comprehenſam.

Scilicet ut oculus pictus referat forma lineisq; ſuis oculum verum, naſus naſum, pes pedem, atq; ſic deinceps. Hoc enim primum eſt, quod poſt inventionem idoneam requirimus in pictura, plerisq; aliis omiſſum, aut cum ſymmetria perperam conjunctum, à qua multum diſcrepat. Neque enim cùm ex legibus delineationis partes omnes referunt naturæ modum, ſtatim quoq; inter ſe conveniunt, & ad ſymmetriæ leges rectè ſeſe habent; poteſtq; caput exile giganteo corpori, licet neutrum per ſe veritati non reſpondeat, imponi. Quare poſtulamus ante omnia in pictura, juſtam rerum omnium, omnium partium in ea deſcriptionem vel delineationem. *Circumſcriptionem* appellare Leo Baptiſta de

Pict. II.

Pict. 11. maluit, quoniam conſiſtit in extrema quaſi definitione ac determinatione rerum pingendarum, vel ut ipſe loqui amat, in notatione fimbriarum, aut conſcriptione ambitûs fimbriarum in picturis per lineas. Ubi ſimul docet, apud veteres Parrhaſium pictorem iſtac parte maximè valuiſſe. Atq; valuit is profectò, verum uno tantùm ejus requiſito, ſcilicet quòd ita lineis cuncta definiverit, ut non reſecare, ſed promittere illa etiam, quæ à tergo eſſent, videretur. Plinius de eo eleganter, loquens ſimul de Parrhaſio. lib. XXXV. c. 10: *Extrema corporum facere, & deſinentis picturæ modum includere, rarum in ſucceſſu artis invenitur. Ambire non debet ſe extremitas ipſa, & ſic deſinere, ut promittat alia poſt ſe, oſtendatq; etiam quæ occultat. Hanc Parrhaſio gloriam conceſſere Antigonus & Xenocrates, qui de pictura ſcripſerunt.* Atq; fit hoc quidem lineis extremis tenuiſſime ductis, uti vult Leo Baptiſta dicto loco. Sed inventum meliùs noſtrorum temporum, ne ductis quidem iſtis lineis ab ea parte, quæ objecta lumini, ſed definitis fundo, etiam in picturis lineatibus, cujus Exempla prodere hoc ſeculo Calottus inter primos, & mox L. Bella cœpere. Ve-

re. Verùm eſt & aliud hujus artis requiſitum, illud ſcilicet, quod definit juſtam & legitimã rerum pingendarum ſpeciem, quæ, ut loquitur Plinius, ſimpliciter *deſinentis picturæ includudit modum*. Atq; hæc eſt, de qua dixi ab initio, agitq; pluribus Baptiſta, deniq; inſtrumentum monſtrat, cujus ope poſſit fieri & rectiùs, & faciliùs, quàm vulgò. Velum nominat, quod magis eſt reticulum, & filis rectis transverſiſq; cancellatim poſitis, magnitudinem cujusq; rei, ſitum, locum exhibere debet. Sed de iſta alij quòd volent, judicent. Habent enim & absq; eo regulas pictores, quas in parte hac obſervant, alias in membris ipſis eorumque forma, alias in ſitu eorundem, atq; collocatione. In membris, ut, caput eſſe oportere rotundum, ovali tamen magis quàm circulari forma. Infantis propiùs ad circulum, viri ad quadratum accedere. Oculos longos magis quàm rotundos, probari, angulum cujuslibet utrumq; alterum alteri reſpondere recta linea pupillas in unum latus idemq; verſas ſemper eſſe. Aures paulò rotundiores exigi, nec magnas, ſed mediocres. Montem earum non in ipſo medio, ſed inferiùs non nihil ſtatui debere.

bere. Naſi formam requiri penè quadrangularem, circa nares magis diffuſam. In brachiis neceſſe eſſe, ut carnoſæ protuberantesq; partes utrinq; ſibi reſpondeant. Idem in femoribus oportere fieri. Suras verſus ſe mutuò magis deſcendere rotundioresq; eſſe, quàm in partibus exterioribus. In talis rem contrario ferè modo ſe habere. Flexuram exteriorem in genu altiorem, interiorem verò humiliorem eſſe. Idem & in cubito obſervari: Digitos verſus ungues paulatim extenuari in manibus, in pedibus fieri craſſiores, & decenter incurvari. In manibus longiſſimum eſſe medium, poſt annularem, tum indicem, in pedibus verò eum, qui eſt proximus à pollice; in manu ſeparari omnes, in pedibus non niſi pollicem, reliquos ſibi ſemper jungi. Atq; hæc in membris obſervantur, in eorum ſitu vero: caput lineâ perpendiculari convenire ſemper cum pedibus vel utrisq;, vel alterutro, niſi corpus rei alij ſit innixum. Aurium ſummitates cum ſuperciliis, imas partes cum extremitate naſi reſpondere lineis rectis. Hirquos oculorum verſus naſum cum alis ſive pinnulis, naſi lineâ perpendiculari. Medium cùm mento lineâ perpendiculari.

Jugulum gulæ, vertebris axillarum lineâ rectâ convenire. Ita ſunt & in cæteris, ſecundum quæ inſtituunt delineationes ſuas, quanquam omnia ex his, quæ dicta ſunt, facillimè intelligantur.

§. 31. *Conſequetur partem hanc futurus pictor modò imitatione ſtudioſâ optimorum operum, modò rerum ipſarum, poſitarum ante oculos.*

Illud priùs poſui, quia eſt facilius, neq; fieri benè poteſt, ut ad alterum ſine eo veniatur. Docet quippè conſuetudines pictoribus in formandis exprimendisq; rerum naturalium imaginibus receptas, oſtenditq; brevi uſu, quod non niſi obſervatione longâ poteſt diſci, atq; ſic paratus inſtructusq; ad cætera transmittit. Quare ab his etiam antiqui incipere conſueverunt. Quia verò nullum tam perfectum eſt exemplum, ut non meliùs ſubminiſtretur à natura ipſa, nec ſic omnia jam jam inventa, ut non obſervari ex ea plura quotidiè aliaq; poſſint, ideò & res ipſæ naturales in exemplum imitationis proponendæ. Quo intuitu Eupompus pictor à tabulis artificum ad vivos homi-

hominès profeſſus eſt ſe ambulare. Plinius lib. XXXIV. c. 9: *Eupompus interrogatus, quem ſequeretur antecedentium, dixit, demonſtratâ hominum multitudine, naturam ipſam imitandam, non artificem.* Patet ex interrogatione hac reſponſioneq; vulgò artifices antecedentes ſequi conſueviſſe. At Eupompum ſtatuiſſe porrò ire, & naturam ipſam porrò inſpicere. Cæterùm hoc aliquantò difficilius, præſertim iis, qui abſq; artis ſcenographicæ ſubſidiis conantur, aut judicio non admodùm pollente, uſuq; prioris partis ſubacto accedunt. Itaq; huc temerè non properandum. Sed & qui eò ducuntur, minimè relinquendi ſibi, verùm à magiſtris, quid ubiq; obſervari debeat, benè informandi. Præcipui laboris eſt, ſervare omnia in eodem ſitu immutata. Ergò ut hoc fieri commodiùs queat, è gypſo capita, pedes, manus, animalia diverſi generis ad vivum fuſa formataq; habent, quæ ut uſus poſtulat, ſtatuunt, atq; ita imitantur. Vel ad vivum ſculptas adhibent imagines, quarum mobiles ſunt articuli, ut earum ſitum habitumq; ipſi, prout uſus venit, queant diſponere. Tum deniq; ad naturam ipſam devenitur, ſucceſſu me-

liore. Ex qua, cùm ab initio, qui umbris imitandis deſcribendisq; ſolùm dabant operam, non poſſent non horridè ſimpliciterq; cuncta pingere, Charmas deinde primus marem & fœminam diſtinguere, formare vultus reſpicientes, ſuſpicientes, deſpicientes facere, articulis membra diſtinguere, venas proferre; Polygnotus dentes oſtendere, os aperire; Zeuſes argutias in eo exprimere, elegantiam capilli, venuſtatem labiorum reddere; Ariſtides mores & affectus ſignare; Eupheanor dignitatem conſpiciendam exhibere invenerunt, ut de hicſe omnibus Plinius lib. XXXV. c. 9. teſtatur, & ſequentibus pluribus monſtrabimus.

§. 32. Tertiam partem proportionem feci, quàm intelligo juſtam partium omnium inter ſe convenientiam.

Convenietiam partium Cicero, *ſymmetriam* Plinius avunculus, *congruentiam* alter Plinius, Gelliusq; *competentiam*, Vitruvius *commenſum* & *commodulationem* vocat, quo poſtremo Græcum *Harmonies* verbum, in declaratione hujus rei ſolitum uſurpari, latinè reddere voluiſſe videtur. Dixi autem, anteà

anteà hanc partem eſſe aliam diſtinctamq; à ſuperiori. Ejus quippe in formandis membris ſingulis, hujus in componendis omnibus inter ſe, & ad mutuos referendis reſpectus curas eſſe occupatas. Illam conſpici in partibus, hanc in toto opere attendi. Et de hac intelligendus Socrates apud Stobæum ſer. 1: *In operibus enormibus non quærimus, quid accuratum ſit, in ſingulis partibus, ſed potiùs ad univerſam rem attendimus, ut pulchrum ſit totum.* Enorme vocat opus, quod etſi ſingulis in partibus ſit pulchrum, normam tamen, ad quam reſpondere debent junctæ, non obſervat. Primus hanc Parrhaſius invenit, attenditq; ſuis in operibus, ut Plinius eſt teſtis lib. XXXV. c. 10: *Parrhaſius,* inquit, *primus ſymmetriam picturæ dedit.* Atq; hoc inventum ejus ita eſt probatum poſteris, ut id ſequentur omnes. Id enim voluiſſe Fabium exiſtimo, quando ſcribit lib. XII. c. 10. de eo: *itaq; circumſcribit omnia, ut eum legumlatorem vocent, quia Deorum atq; Heroum effigies, quales ab eo ſunt traditæ, cæteri, tanquam ita neceſſe ſit, ſequuntur.* Annotandum, quòd ob artem hanc *legumlatorem* appellarint, tanquã primus leges dederit, ad *quas juſtum omnium inter ſe* compo-

nere deberent modum membrorum. Neque aliter accipiendum, quod apud eundem Plinium ſequenti capite occurrit, de Euphranore, quàm extitiſſe eum inter primos, qui Parrhaſii leges iſtas intellexerit, & in operibus ſuis obſervarit. *Euphranor Iſthmius*, inquit, *primus videtur expreſſiſſe dignitates Heroum, & uſurpaſſe ſymmetriam.* Non ait *dediſſe* aut *inveniſſe* picturæ, ut ſuprà de Parrhaſio locutus eſt, verùm *uſurpaſſe*, id eſt, retuliſſe in uſum. Nam & libros *de ſymmetria* ſcripſit ediditq;, ſicut idem Plinius teſtatur. Conſiſtit autem ſymmetriæ ratio in quadam partium inter ſe cunctarum, rei, quæ pingitur, convenientia, ut ne grandius ſit caput, ne membra longiora, ne exiliores manus, aut pedes, quàm corpus reliquum admittit. Qua in re non minimum peccarunt veteres, ne quidem Euphranore excepto, de quo Plinius lib. XXXV. c. 10: *Fuit univerſitate corporum exilior, capitibus articulisq; grandior.* Univerſitatem corporum vocat, omnia eorum membra, quæ exiliora faciebat, quàm ut capitibus articulisq; reſponderent. Idem vitium in Zeuſide obſervatum, teſte eodem: *Deprehenditur*, inquit, *Zeuxis grandior in capitibus articulisq;.*

Neq;

Neq; aliter accidit poſt renatam ſuperioribus ſeculis pingendi artem, extantq; in hanc rem exempla Iſraelis Mechlinenſis, & Martini Schænij, celeberrimorum aliàs pictorum. Itaq; hac in parte attendendæ regulæ, quas ex dimenſione corporum optimè ac exactiſſimè ſecundū naturam ſe habentium artifices conſtituerunt. Tradidere aliquas apud veteres, Euphranor primùm, ut ſuperiùs monſtravi, mox & alij, in quibus Varro apud Gellium III. c. 10. Vitruvius, III. c. 1. Solinus V. Ex recentioribus verò Albertus Durerus opere peculiari de proportione, Pomponius Gauricius in de ſtatuaria, Sebaſtianus Serlius, Caſtilionius & Gualterus Rivius in notis ad Vitruvij prædictum locum, Cardanus de ſubtilitate lib. XI. Henricus Lautenſaak in opuſculo de uſu Circini & Regulæ, aliisq;, quos nunc lubens prætermitto. Obſervandum autem, aliam membrorum inter ſe proportionem in viro, aliam in fœmina, & rurſum aliam in adultis, aliam in pueris eſſe. Deinde pleroſq;, quando diſſerunt de ea, viri proportionem intelligere, & ad exemplum ejus, ut perfectius, cætera referre. Deniq; non omnes inter ſe in hiſce convenire,

quando fieri vix poteſt, ut idem omnibus, & per omnia pulchrum videatur. Nos proportionis regulas dabimus, quales obſervari à magiſtris optimis conſueverunt. Longitudo tota ab exortu capillorum in plantas dividitur in partes decem, una continet faciem, à mento ad jugulo gulæ eſt dimidia. A jugulo ad mamillas rurſum una, inde ad umbilicum una, inde ad penem iterum una. Et hoc paulò minùs eſt, quàm dimidium ſtantis hominis. A pene ad dimidium femorum eſt una, inde ad genua una. A genubus ad medium ſurarum una, inde ad collum pedum una, inde ad talos una, & deniq; ad plantas dimidia. Quod ſupra capillorum exordia eminet in capite, pollicis longitudinem æquat. Latitudo brachiis extentis intellecta partes & ipſa decem ſimiliter habet. A medio jugulo ad axillas unam. Inde ad cubitum unam cum dimidia. Inde ad carpum una cum dimidia. Et deniq; manus unam. Atq; ſic à parte altera. Partes ipſæ inter ſe analogiam habent iſtam. Caput eſt quaſi octava pars totius corporis, frons quarta capitis, oculi longitudo æquat frontis duas tertias, aurium, frontem totum. Naſi longitudo ſimi-

lis eſt

lis eſt aurium. Oris æquat longitudinem oculorum. Intervallum inter duos interiores oculorum angulos æquale longitudini alterutrius oculi. Mentum reſpondet ori; ejus à jugulo prominentia intervallo, quod eſt inter ſupercilia & naſi alas. Juguli ad imam gulam longitudo æquat diſtantiam inter alas naſi, mentumq;. Superioris labri ab ore ad nares imas intervallum convenit cum naſi prominentia, & diſtantia oculorum à ſuperciliis. Pectoris latitudo duabus reſpondet faciebus. Diſtantia inter papillam utramq; uni. Manûs longitudo æquat longitudinem faciei, latitudo dimidiam ejus partem. Medius digitus longitudinem volæ, pollex naſi, ungues dimidium oculorum extremorum, pes corporis totius ſextam partem. Atq; iſthæc de proportione viri, in qua obſervandum, quòd ab humerorum vertebris ad vertebras coxendicis & inde ad medium genu, & hinc ad talos partes ſunt æquales. In quo differt à proportione fœminea. Nam primùm in ea à vertebris coxendicis ad genu medium, indeq; non ad talos, verùm plantas, partes ſunt æquales. Pars tertia à coxendice ad humeros ſuperat has unâ dimidiâ parte ea-

rum, quas ſingulæ ex prædictis tribus habent decem cum dimidia. A vertice ad vertebras humerorum, & inde ad laterum flexuras circa ilia, indeq; ad extremas nates, partes inter ſe ſunt æquales. In qua ultima parte in ſeptem æquales diviſa, duæ umbilicum, duæ vertebras coxendicis, duæ ultima pudendi, ſeptima extremitatem natium demonſtrant. Patetq; in muliere ſuperiorem partem corporis longiorem eſſe viri, convenireq; laterum flexuras illius cum viri umbilico. Differt ab his omnibus ſymmetria infantis. Partes enim habet quatuor cum dimidia, unam capitis, inde ad umbilicum unam, dimidiam inde ad vertebras coxendicis, unam ad genu medium, unam ad plantas. Atq; tantum de proportione hominum. De animalium cæterorum ſymmetria dicere nimis longum foret, neq; ſatis omnia illius à magiſtris explorata ſunt. Deniq; qui in homine pingendo erit exercitatus, facilè reliquorum animantium figuram aſſequetur. Poteſt tamen conſuli Sebaldus Bœhm, qui proportionem equi non inelegantem dedit in peculiari libello, Germanicè de arte pingendi vulgato.

§. 33.

§. 33. *Haberi pars hæc partim ex Geometria poteſt, partim ex Anatomia, deniq; ex diligenti corporum pulcherrimorum inter ſe collatione.*

Facit ſanè illa corporum ejusmodi ac pulchritudinis collatio, ut ex iis, quid ſit aptiſſimum convenientiſſimumq; naturæ, rectiùs intelligatur. Sed inſtitui collatio hæc difficulter poteſt, absq; aliquo ſubſidio Geometriæ. Illa diviſiones, & lineas earum, & proportiones, & circulos, & ſemicirculos, & eorum centra docet, ad quæ tota res hæc eſt accommodanda. Itaq; & præſtantiſſimi pictores ſe in ea plurimùm exercuere, non ſolùm apud veteres, è quibus Pamphilus Macedo præceptor Apellis, primus eam contulit ad picturam, & absq; illa perfici artem poſſe negavit; ſed & poſt renatam eam optimi quiq; id fecere. Quod vel unico Dureri conſtare poteſt exemplo, cujus plurima extant etiam in Geometria inventa in libris quatuor, quos de ea ſcripſit. Ut omittam Sebaldum Bohemum, alios q;, qui ferè omnes, antequam de ipſa ratione imaginum quid tradunt, generalia

quæ-

quædam Geometriæ præcepta proponere conſueverunt. Cæterùm ut ratio cujusq; corporis, & in eo membrorum rectiùs intelligi æſtimariq; poſſit, opus fuerit non exteriori ſolùm contemplatione, ſed interiori etiam, præcipuè oſſium eorumq; juncturarum. Nam illa docent, quantum quodq; alterum revera æquet, excedatq;. Unde rectè Leo Baptiſta lib II? *Quædam circa magnitudinem ratio tenenda eſt : In qua quidem commenſuratione juvat in animantibus pingendis primùm oſſa ingenio ſubtercalare.* Sed & ſceleta pictis ad ſymmetriam imaginibus apponere magiſtri eruditiores conſueverunt tali fine, ſicut ex Alberto Durero, & Henrico Lautenſaak cognoſcimus. Voſſius 17. de pictura : *Incidendi corporis ſcientia plurimum confert pictori. Nec, ut puto, obſcura eſt ejus ratio. Exactiùs enim ejus gnarus humani corporis proportionem in ſingulis ſervabit.*

§. 34. *Menſuratio ſequitur, quam appello certam juſtamq́; rerum omnium in pictura magnitudinem; diſtantiæ à ſe mutuò ac ſpectante accommodatam.*

Eſt

Eſt hæc longè alia, quàm proportio vel ſymmetria, de qua dictum anteà. Illa partes ſingulas metitur, quamquã inter ſe verã habeant convenientiam, exquirit, nullo ad earum ſitum, actiones, geſtus, reſpectu. At hæc convenientiam conſiderat apparentem nec ut ſunt, ſed ut hoc illove modo collocatæ videntnr, ei maximè, qui ſpectare tabulam fingitur. Puta pingendum eſſe hominem, pedibus divaricatis, quorum alterum proponat alteri, velut inter ambulandum, vultu totoq; habitu corporis non in latus, ſed anteriora verſo. Certè qui poſterior pedum erit, minor aliquantò priori, cùm longitudinis, tum craſſitiei ratione formabitur. Sic pingendi duo treſve ſint, quorum alius alio vicinior, qui longiſſimè aberit, minimùm fieri neceſſe eſt, licet ipſi naturâ ſuâ inter ſe ſint æquales. Atq; hoc vel ipſe uſus decet, cùm arbores longiſſimè diſſitas vix hominum æquare proceritatem animadvertamus. Ergo ne hac quidem in parte deſerenda ratio eſt naturæ, dandaq; opera, ut pro diſtantia quæq; ſuâ, juſtâ repræſentemus magnitudine. Cæterùm quis primus in picturis genus hoc attenderit, in obſcuro eſt. Quod ſi tamen conje-

conjectare licet, apud Græcos ſaltem Democritus fuiſſe videtur, cum Anaxagora, qui hoc invenere occaſſione ſcenarum pingendarum, in quibus ædificia, ſylvæ, montes, & id genus pro ratione fabulæ exhiberi debebant. Ita enim hac de re Vitruvius in Præfat. lib. VII: *Primùm Agatharchus Athenis Æſchyllo docente tragœdam ſcenam fecit, & de ea commentarium reliquit. Ex eo moniti Democritus & Anaxagoras de eadem re ſcripſerunt, quemadmodum oporteret ad aciem oculorum, radiorumq́ extenſionem certo loco centri conſtituta ad lineas ratione naturali reſpõdere, ut de incerta re certa imagines ædificiorum in ſcenarum picturis redderent ſpeciem, & quæ in directis planisq́ frontibus ſint figurata, alia abſcedentia, alia prominentia eſſe videantur.* Docuerunt ipſi primùm, ut apparet, certas lineas obſervare pictores, certumq; conſtituere centrum, ad quod picturæ omnes reſpondeant, conveniantq;, qua in re pars multò maxima hujus artis verſatur, ut vix ſit dubium, quin his auctoribus debeamus. Celebrata autem obſervatione ejus ante cunctos alios Aſclepiodorus. Ut Apelles ipſe ei ceſſerit. Ita enim de Appelle Plinius lib. XXXV. c. 11: *Cedebat Amphioni de diſpo-*

diſpoſitione, *Aſclepiodoro de menſuris*, *hoc eſt*, *quantò quid à quo diſtare deberet*. Non de aliis hîc Plinius menſuris loquitur, quàm iis, quæ in ſcenographicis obſervantur. Quod jam olim intellexit etiam Demontioſus, qui interim interpretationem ejus à Plinio adjectam, non cum voce *menſuris*, ſed præcedenti *diſpoſitione* putavit conjungendam. Mihi aliter videtur, neq; temerè in Plinio quid immutandum, quando artis hujus proprium, obſervare diſtantias rerũ, & pro iis alias majores, alias minores facere imagines, ut dixi. Nõ quòd ſint reverâ tales, ſed quòd eſſe videantur, quoniam quò quid à nobis diſtat longiùs, hoc cadit ſub acutiorem viſûs noſtri angulum, atq; ita minus eſſe putatur. Obſervo autem varia attendi à magiſtris ex hac parte in picturis: alia lineas eò tendentes. In puncto primùm, ut idoneo ponatur loco, ſive à dextra, ſive à ſiniſtra, ſive in medio, prout, quod pingimus, & meliùs, & pulchriùs adſpectu eſt. Deindè ut juſtâ altitudine non altè nimis, non nimis depreſsè. Deniq; ut juſto intervallo, quædam enim rectiùs cernuntur à propinquo, quædam rectiùs è longinquo. Sanè niſi juſtum intervallum fuerit, ſed vel propin-

quum nimis, terra quidem erit latior, omnia verò in extremis nimiùm arctabuntur in acumen, interq; ſe coibunt quaſi, vel remotum nimis, terra erit brevior, & aut pauca continebit, aut ſi plura imponentur, miſcebuntur, & velut in propinquo ſtarent, cuncta ſibi mutuò incumbent. Atq; iſtoc quidem latitudinis & longitudinis reſpectu attendendum. In altitudine notandum, quòd ſi tantùm ſit, quod pingitur, ut uno intuitu, immobili manenti oculo non poſſit comprehendi, ut cùm arbor, cùm turris multùm edita, vel ſimile quid è propinquo ſpectatur, punctum alterum & tertium in altum poni poſſit debeatque. Nam & naturæ hoc conveniens, quatenus ipſe oculus ut emetiatur rei ejusce altitudinem, aliquoties cogitur ſe levare, & niſi fiat, lineæ à ſummo decurrentes propè fient perpendiculâres, & non mòdò rei ſpeciem exhibebunt ingratam, ſed & uſui ac obſervationi quotidianæ repugnantem. In lineis notandum, ut ad punctum omnes propoſitum, ceu centrum quoddam reſpondeant, ſive ab uno tanrùm latere, ſive ab utroq; eò decurrant, & quæ inferiores ſunt, adſcendant, quæ ſuperiores deſcendant, idq; re-

ctis

ctis lineis, ſi lineis ejusmodi, quod pingendum eſt, conſtet, ut quod plana habet latera rectavè. At ſi conſtet curvis, velut quod globoſum, protuberans, rotundum aut convexum eſt, lineæ quæ ſuperiores ſunt, curvandæ in modum ſemicirculi, qui ſupra centrum extat, quæ inferiores, in modum ſemicirculi, qui eſt infra illud. Atq; hæ ſunt lineæ, quas pictorum vulgus *ſupra infraq; oculum* poſitas vocare conſuevit, uſusq; habent infinitos, ſi benè obſerventur, non modò in diſpoſitione imaginum, ſed & conſtituendis umbris, ut extantia, plana, recedentia videantur omnia in ipſis, ſic ut decet.

§. 34. Comparatur pars hæc opticis, & ſcenographicis diſciplinis, quin & obſervatione aliquâ judicij vulgaris.

De diſciplinis opticis res non eſt dubia, quando proprium earum, demonſtrare, quali modo quidque videatur. Minùs adhuc ambigi de ſcenographicis poteſt, quum illarum finis non ſit alius, non aliud propoſitum, quàm de quo hîc agimus. Ita-

que & à Vitruvio 1. Archit. 2. Scenographia *frontis & laterum abſcedentium adumbratio ad circiniq́ centrum omnium linearum reſponſus* definitur. Sunt, qui in Vitruvio *Sciographiam* ſcribunt, & ſic reperitur in quibusdam libris, defenditq́; Barbarus in notis. Sed meliores retinent vocem *Scenographia.* Neq; aliter aut Cœlius Rhodiginus, aut Politianus invenerunt, ut ex hujus Panepiſtemone, illius verò libri V. cap. 5. Antiq. Lectionum patet. Probat etiam Salmaſius ex eo, quia *ſcenos* Græcis notat corpus, ac ut corpus hominis, ſic quoque ædificij vocetur, ut videre eſt ex notis ejus ad Solinum. Quanquam mihi verior ſententia, quam ſuprâ protuli, ſic nimirum dictam eſſe hanc picturã à ſcenis, in quibus primùm adhiberi cæpit. Licet illæ ipſæ ſcenæ, uti vult Salmaſius, ex illo altero traxenit ſuum nomen. Scenographia profectò nominatur etiam ab Herone in definitionibus. Neq; aliter in Procli libris emendatioribus reperitur, uti manu ſuâ Daſipodius, inſignis olim Mathematicus, ad oram ſui Procli, qui nunc penes me eſt, obſervavit. Cæterùm quemadmodum ars nulla majus pictori ad perficiendam partem hanc conferre adjumentum

tum

tum poteſt, ſic ſufficere haud videtur, cùm inveniantur etiam in ipſa, quæ utut naturæ forſan ſatis, gratiæ tamen imaginum minimè conveniunt. Ex quorum numero res omnes circulares ſunt, à latere pingendæ, quippè quas ex una parte altiores, ex altera parte depreſſiores faciat. Equidem negare non ſuſtineo, quin ex certis artis regulis ea ratio procedat. Verum fundamentum earum eſſe quadrata, quæ variant pro poſitione ſua, & modò latiora fiunt, modò anguſtiora, modò in hoc, quàm illud latus magis inclinant. At in circulis res ſeſe habet aliter, nulli ejuscemodi ſubjectis variationi. Neq; enim magis in remota parte, quàm propinqua coarctantur. Certè quæ pinguntur ad prædictas regulas illas, non ſtare erectè, aut poſita in plano eſſe, ſed in latus aliquod inclinare ſe videntur. Itaq; nec quisquam omnium eorum, qui picturæ dedit operam laudabilem, ſic eos hactenus delineare auſus fuit, ſive quòd picturæ ſic conſulerent elegantiæ, ſivè quod diverſum in rebus ipſis obſervarent. Neq; noſtra ſolùm iſta eſt opinio, ſed præivit nobis ſententiâ ſuâ partim Lenckerus, partim Lautenſakius, ambo artis hujus peritiſſimi, ipſiq; ad

experientiam conſenſumq; pictorum, qui delineandis rebus naturalibus dant operam, provocarunt. Quare ad judicium commune ab hac arte utile nonnunquam eſt tranſire, ne, dum illi nimiùm inſiſtimus, deſerere naturam videamur; vel judicium ſpectantis, incapax ſubtilitatis hujus, temerè damnare.

§. 35. Lumen & umbra quintum eſt, quod ad picturam pertinet. Voco autem illud rerum eâ parte, quâ luci ſunt expoſitæ, illuſtrationem, & aversâ, quâ non ſunt, inumbrationem juſtam.

Eſt hæc una pars ex præcipuis totius artis, cujus quis inventor primus fuerit, dici liquidò vix poteſt. Nam quod apud Fabium de Zeuſe legitur, non eum habet ſenſum, ut opinor, tanquam ipſi hoc tribuendum. *Zeuſes*, inquit lib. XII. c. 10, *luminum umbrarumq; inveniſſe rationem traditur*. Non lumina umbrasque, ſed eorum rationem ait inveniſſe, hoc eſt, ut intelligo, modum legemq;, quâ ex parte quodque, quo pacto, quousq; debeat extendi. Sanè floruit

ruit nonnihil ante ipſum nomine Apollodorus, de quo in opuſculo, cujus titulus, Bellóne an pace clariores fuerint Athenienſes, Plutarchus: *Apollodorus pictor primus inter homines reperit umbræ uſum.* Sed & Plutarchus non tam de umbris, quàm eorum uſu loquitur, ut puto. Vidit credo hic Apollodorus, quibus rebus in picturis ſervirent, & quomodo ſubſidio illius, alia illuſtria, alia obſcura, alia propinqua, alia longinqua, plana alia, alia eminentia aut convexa poſſent pingi. Sanè ante quoq; adhibebant, ſed incerto adhuc uſu. Nam & in picturis linearibus ſparſæ intus lineæ, de quibus nos ex Plinio teſtati ſumus in ſuperioribus, nil aliud, quàm umbras quasdam, qualescunq; denique, repræſentabant: Cæterùm in tota parte hac ſunt obſervanda, primùm, unius tabulæ unum modò eſſe oportere luminis quaſi centrum, ex quo dimanat, quoq; referatur, quicquid in ea luminoſum. Id loco uno, idoneo, certo atq; fixo debere collocari. Omnia, quæ id reſpiciunt, illuſtranda eſſe, quæ oppoſita illi, inumbranda. Hoc enim conveniens naturæ, quæ producit unum ſolem, ad cujus ſitum omnia ſunt illuſtria, vel umbroſa.

Deindè lucis umbræq; longitudinem latitudinemvè non pro lubitu & arbitrio pictoris, ſed centri ejus ratione corporisque, quod pingendum, qualitate ſe habere. Alias umbras plana, alias rotunda corpora recipere. In omnibus velut lineam animo formandam eſſe, quæ deſcendens ex centro, tangat in ſuperficie corpus, tactuq; ſuo ab una parte adverſa lucem, ab altera averſa umbram definiat. Tertiò lumen umbramq; tantò fieri intenſiora, quantò ſint propinquiora vel remotiora centro dicto. Quod potiſſimùm in rotundis obſervandum, quæ cùm in extremitatibus reflectantur, & à tergo coëant, non profectò in extremitatibus iſtis aut intenſiſſimum lumen, aut umbram maximam admittunt; ut ſic & in luminoſa circa finem umbræ paululum, ut quæ ſit abſceſsûs cauſa jam remotior, & in tenebroſa luminoſum aliquid admiſceri debeat. Qui hæc probè obſervant, illi conſequuntur id, quod eſt præcipuum in picturis maximeq; admirandum, ut non plana, ſed extantia cuncta videantur. Neq; enim fieri aliter id poteſt, quàm idoneâ umbræ luminiſq; diſpoſitione, ſicut ex antiquis etiam Dionyſius Longinus auctor eſt ſect. 15.

Ductis

Ductis, inquit, *& collatis in eodem plano lineis, æquali ſpatio diſtantibus, tum umbræ lucisq; adhibitis coloribus, occurrit in primis oculis noſtris, quod lumineſum eſt, flagrans excellenter, & multò propiùs multoq; magis conſpicuum apparet.* Propiora videri ait, quæ ſunt luminoſa. Scholia Anali: *Pictores quæcunq; propinqua volunt pingere, albo delineant; quæ autem concava & profunda, nigro.* Quod ille umbram lucemque, hic nigrum albumq; dixit, quoniam in utriusq; deſignatione uti hoc colore conſueverunt. Cæterùm hac arte apud priſcos nemo valuit ante Apellem, de quo Plinius XXXV. c. 10: *Pinxit Alexandrum, fulmen tenentem. Digiti eminere videntur, fulmenq; extra tabulam eſſe.* Laudatur tamen & Nicias, qui eodem ferè floruit tempore. Idem Plinius ſequenti capite: *Nicias Athenienſis lumen & umbras cuſtodivit, atq; ut eminerent è tabulis picturæ, maximè curavit.* Jungit luminis umbræq; cuſtodiæ iſtam eminentiam, quia ſequitur eam, & ex ipſa veluti reſultat. Sciendum autem hoc in loco, quòd ab umbris hiſce corporum nonnihil differant, quæ à corporibus in alia projiciuntur. Puta in vicinam terram, in parietem proximum, aut quid ejus generis. Imò

accedit in ipſis aliquando corporibus, ut alterum incumbens alteri aut adſtans, contra propriam naturam ſuam id inumbret. Igitur qualis quantaq; iſta inumbratio eſſe debeat, cum cura inquirendum. Apud veteres qui quid tradiderint de ea, ſcio nullos. Ex recentioribus primus fuit, ut exiſtimo, Durerus. Ratio ex duabus, quas excogitavit, hæc facillima. Duo ponit puncta à re, quæ ſpargere de ſe umbras debet, pro arbitrio diſtantia, luminis indicantia ortum; ejusq; intervallum, ſupra infraq; adſpectantis oculum. A ſuperiore, quod ſuperiorem notat lucem, lineæ omnes, corporis ſuperiores tangentes angulos, demittuntur in terram. Ab inferiore, quod inferiorem lucem notat, demittuntur tangentes angulos inferiores, quæ ſe mutuò ſecantes oſtendunt terminos pingendæ umbræ. Sed notandũ, utramq; ejus rationem tantummodò procedere, cùm in terras planas umbræ incidunt, aliam eſſe, cùm occurrunt rotunda convexaque. Tum enim pro corporum illorum ratione, ipſæ quoq; variare ſolent umbræ, ac ſe modò in curvum flectere, modò latiùs extendere, modò breviùs contrahere; de qua re videndum, quod à Marloiſio

in ſce-

in ſcenographicis eſt obſervatum. Deinde annotandum, alias aliasq; fieri umbras, prout aut diei tantùm, aut ſimul & ſolis, vel deniq; candelæ alicujus lumine formantur. Primùm enim umbras omnes efficit dilutiores, ſequentia duo duriores. Deinde in illo tranſeunt inſenſibiliter in lucidum; at in his ſenſibiles ſuos habent terminos, ut inter ſummam lucem ſummamq; umbram nil ſit intermedii. Quæ qui negligunt attendere, naturam minimè adſequuntur. Cæterùm quæ dicta ſunt huc usque, ad lucem umbramq; pertinent, non *ſplendorem*, qui eſt plurimum à luce diverſus. Docet Plinius XXXV. c. 5. cum ait: *Deinde adjectus eſt ſplendor, alius hic quàm lumen.* Patet utique, ſplendorem apud veteres diverſum quid à lumine fuiſſe. At quid verè fuerit, haud patet, nec in eo convenit inter eruditos. Voſſius *intentionem luminis* interpretatur, Junium ut cenſeo, ſecutus, qui & ipſe eſt in hac ſententia lib. III. c. 7. Sed hoc Plinio non convenit, quippè qui ceu medium inter umbram lucemq; ſtatuit, pergit enim: *Quem quia inter hoc* (lumen) *& umbram eſſet, appellavit tonum.* Sanè quod eſt inter utrumque, non poteſt intentio alte-

rius eſſe, cùm hoc non ſit medium inter duo, ſed alterius incrementum. Demontioſus pro colore ipſo accipit. Itaq; ſic inter alia de eo: *Inter lucem & umbram ſplendor ſpectatur. In lumine color dilutus eſt. In umbra ſaturatus, in ſplendore coloris ſpecies cernitur. In majori luce non diſcernitur, nec iterum in umbram intenſa, ſed opus è lumine moderato.* Verùm non ſatisfacit. An enim ante ſplendoris inventum nullo uſi ſunt colore vero, nulla certâ ejus ſpecie pictores, ſed vel lumine diluto, vel umbrâ ſaturatâ? Quid? nonne ante umbræ luminisq; inventam rationem, uno ſimpliciq; uſi ſunt colore in monchromatis, qui fuit certæ ſpeciei? Plinius profectò ſic ſtatuere videtur. Ergò aliud quid innuit per ſplendorem, quod ego puto non colorem ſimpliciter, ſed vigorem ejus poſſe nominari. Et nimirum omnibus in coloribus languor quidam in defectu, cui oppoſitus eſt vigor, feriens ac percellens oculos acrimoniâ coloris. *Friſch* Germanis dicitur, & à luce coloreq; differt plurimùm. Nam cùm lux conficiatur albo, hic fit ſuo genere coloris, in rubris rubro, in cœruleis cœruleo. Nec tamen rubrum tantùm eſt aut cœruleum, ſed hujus illiusq; quoddam

veluti

veluti faſtigium, cùm ad ſummum intenduntur, vegetumq́; accipiunt fulgorem. Eſtq; hoc poſt colores nativos demùm, poſt lucem umbramq́; inventum, ſingulari præparatione, purificatione, miſtione, uniusq́; alterius illetione ſeu inductione eruditâ, quam *falſationem* vulgò vocant. Sanè vigor iſte tonus dici ſolet etiam in gemmis, ut Salmaſio notatum in Solinum. *Tonus*, inquit, *eſt vigor. Et vegetum in gemmis fulgorem ita vocarunt, ſic* ἔφτονον ὅς μὲν *dixerunt, &* εὔτονον χρῶμα. Neq́; aliter Henricus Stephanus vel expoſuit, vel intellexit. Unde patet, ad colores potiùs hoc pertinere, quàm ad umbram lucemque; nec hoc loco agi de eo à Franciſco Junio, Voſſioque, aut conjungi cum luce debuiſſe. Quo tamen quia actum eſt, noſtram ſtatim ſententiam aperire maluimus, quàm totum ad ſequentia differre.

§. 36. Partem hanc ex opticis addiſcimus & ſciographicis.

De opticis res plana eſt, per ſciographica intelligo in opticis peculiarem partem, quæ de umbris agit. Nam quod Voſſius in de Scient. Mathem. XXV. c. 4. ſic

appel-

appellari poſſe picturas, quæ res tempore nocturno factas continent, non placet, cùm *σκιὰ* non *noctem* Græcis denotet, ſed *umbram*. De hac porrò ratione umbrarum, præter Durerum, egit Marloiſius egregiè, ut antè dixi. Neq; contemnenda habet Athanaſius Kircherus in arte magna lucis. Cuncta tamen rectiùs intelliguntur, ſi in ipſis lux umbraq; corporibus obſervabuntur. Quod pictores duplici efficere ratione ſolent. Nam vel viva corpora in conclavibus per unam ſolùm feneſtram lumen admittentibus ponere ſibi ante oculos, umbrasq; eorum notare conſueverunt; vel ſculptas peritè aut fictas è luto ceravè imagines noctu collocare ad lumen, & in eis obſervare rationem umbrarum, ac ne varientur decremento ſebaceæ candelæ, lampadem pro ea cum lychno atq; oleo adhibere. Quamquam in hoc genere poſteriori animadvertendum, quod ſuperiùs admonui, duriores eſſe tales umbras, quàm quæ corporibus diei expoſitis conveniant. Ut ex hoc earum quantitates potiùs, ex illo temperationes tranſitusq; obſervanda videantur.

§. 37.

§. 37. *Motus ſequitur, quem intelligo aptum in picturis geſtum omnium, decentemq́ actionem.*

Motum appellarunt Apulejus, & Tertullianus, ut jam Voſſio notatum. Sed & ante iſtos, ita nominavit Fabius II. c. 13: *Flexus,* inquit, *& ut ſic dixerim, motus dat actum quendam effictis.* Patet tamen timidiùs aliquantò *motum*, quàm *actum* appellare voluiſſe. Conſiſtit verò motus iſte in duobus: Vultu primùm, corpore deindè reliquo. In vultu exprimenda ſexus, ætas, ingenium, affectus, perturbationes. Primum, quia alius viri, alius fœminæ habitus in vultu; ſecundum, quia vigor virilis à ſenili languore plurimùm diſtinguitur. Atq; hæc faciliora. At verò in duobus reliquis, apex quaſi artis ac faſtigium eſt collocatum. Ac in ingenio quidem attendendum, quantum modeſtus à procaci, temperans à libidinoſo, fortis ab ignavo mollique, etiam vultu differat. Quâre apud veteres, ut in plerisq; aliis excelluit Apelles, Plinio auctore. In perturbationibus verò, quantum propria cujusq; vertant immutentq; lineamenta, nam alius irati, alius libidine perciti, alius dolentis, alius gauden-

gaudentis vultus. Fuit autem hujus utriuſque primus in picturis obſervator Ariſtides apud veteres. Plinius: *Ariſtides Thebanus omnium primus animum pinxit, & ſenſus omnes expreſſit, quos vocant Græci Ethe, item perturbationes.* Sed videtur repugnare his, quòd ante ipsũ annis penè triginta quinq; floruerit Zeuxes, de quo idem lib. XXXV. c. 9: *Fecit & Penelopen, in qua pinxiſſe mores videtur.* Sanè *mores* hîc, qui in ſuperioribus ſunt *Ethe*, Græcè ἤθη, unde ipſæ iſtiusmodi picturæ ἠθικαὶ appellabantur, velut diceres *moratæ*. Paulò pòſt, & tamen ante Ariſtidem annis ferè ſexaginta, fuit etiam Parrhaſius, de quo idem auctor: *Parrhaſius pinxit pueros duos, in quibus ſpectatur ſecuritas, & ætatis ſimplicitas.* Non poteſt factum hoc fuiſſe abſq; hujus partis obſervatione. Equidem & ipſe Plin. de eo lib. XXXV. c. 10: *primus dedit argutias vultûs.* Intelligi hæ argutiæ non poſſunt abſq; τȣ̃ ἤθȣς. Imò ante Parrhaſium etiam Polygnotus floruit, de quo Ariſtoteles, Poët. VI, verbis manifeſtis: *Polygnotus mores hominum bellè exprimebat.* Quid? quòd Xenophon mentionem hujus artis faciat III. Memorabilium, inventamq; afferat à Socrate. Nec fortaſſe

vero

vero eſt repugnans, quando pictor fuit Socrates initiò. Porrò Socrates ante dictos omnes floruit. Quid igitur, ſi exiſtimemus duos fuiſſe pictores eodem Ariſtidis nomine, amboſq; Thebanos? Nam Plinium tam ſui oblitum tradere poſt ea, quæ locutus fuit de Parrhaſio, de Ariſtide quoq; potuiſſe, vix eſt verò conſentaneum, aut conveniens diligentiæ Plinianæ. Venio ad corpus reliquum, in quo danda opera, ut membra omnia decentem motum habeant. Quem in tabulis & picturis ſuis obſervaſſe Cimonem Cleonæum ab initio putamus. Plinius XXXV. c. 5: *Cimon Cleonæus variè formare vultus reſpicientes, ſuſpicientes, deſpicienteſq; invenit.* Antè pingebatur rigidus, cum reliquo corpore, vultus, membra recta, pedes juncti, manus demiſſæ, ut ex tabula Iſiaca Pignorij cognoſcimus. Reprehendit Fabius, & naturæ dicit adverſari. *Recti corporis*, ait, *minima gratia eſt, nempè enim adverſa fit facies, & demiſſa brachia, & juncti pedes, & à ſummis ad ima rigens opus.* Itaq; obſervato hoc vitio, picti motus. Quos plurimùm excoluit deindè Polygnotus, inq; vultu ipſo apertum os, dentes, & id genus primus exhibuit. Plin. XXXV. c. 9:

Polygno-

Polygnotus Thaſius plurimùm picturæ primus contulit. Siquidem inſtituit os adaperire, dentes oſtendere, vultum ab antiquo rigore variare. Parrhaſius adjecit venuſtatem, capillos quoq; cœpit primus diſtinguere, curâq; ſingulari delineare. Idem cap. ſeq. *Parrhaſius primus dedit elegantiam capilli, venuſtatem oris.* Duo autem ſunt, quæ præſtanda: primùm, ut convenientes ſint naturæ, deindè ut & argumento competant. Naturæ, ne ſint violenti nimiùm, diſtortiq; nimiùm, ut cùm pedes juſto plus disjunguntur, cùm venter enormiter protenditur, cùm manus digitivè maximâ moleſtiâ torquentur, cùm corpus totum bis terq; in contraria flectitur. Cùm manui, pedi, aut alij membro tota imponitur actio, vicina verò ut brachium, crus & ſimilia ſunt otioſa. Quo in genere non ſemper absq; culpa eſt inſignis alioquin pictor Golzius, ceu ex Ovidio ipſius liquet. Argumento etiam convenire debet, ut cùm mœſtus capite inclinato, palmis pectori admotis, genu leviter flexo, pedibus conjunctis formatur. Cùm obſtupeſcens reclinato corpore, capite ſuſpiciente, oculis hiantibus, manibus nonnihil paſſis, aut indice dextræ erecto, preſſis digitis cæteris exhi-

exhibetur. Atq; differit de utraq; parte hac egregiè Leo Baptiſta de Pictura II. Nec contemnendas habet in ambabus obſervationes. Ut in priori, ferè illò vultum porrigi, quò pes dirigatur, caput ſtantis non plus verti ſurſum, quàm ut oculis cœlum medium adſpiciat, manus rarò ſupra caput, aut pedes ſupra genua elevari: Pedem à pede, non plus pedis unius ſpatio diſtare: Manu in altum ſublatâ, totius lateris partes attolli, etiam calcaneum pedis in illo latere elevari. In poſteriori quoq; aliqua notavit, ut debere motus plurium in eadem tabula maximè diſſimiles eſſe, deinde omnes in propoſito negotio conficiendo occupari. Utile quoq; eſſe, ut, qui ſpectatorem quaſi moneat de ingenio naturaq; ejus, adpingatur. Ad poſtremum ita claudit: *Suaves & gratos, atq; ad rem, de qua agitur, conducentes pictura motus habere debet.* Verùm iſta pertinent ad motus animantium. Eſt & rerum inanimatarum motus aliquis in picturis obſervandus, ut capillorum, veſtium, frondium & foliorum in arboribus, undarum in amni, fluctuum in mari. De quibus una ſimplexq; regula, ut uni reſpondeant ſemper vento, neq; alia in hanc, alia in adverſam

ſam

ſam inclinentur partem. Foliorum in arboribus, ramorumq; grata inclinatio hinc pendet tota. Etiam veſtimentorum rugæ ad hanc regulam conſtringere aut explicare ſeſe debent, niſi ubi motus incedentis, aut cinctura, aut compoſitio facta manu fibulavè poſtulet diverſum. Eſt autem in tota hac veſtimentorum pingendorum ratione attendendum, ne in eis rugæ nimiùm refractæ ſint, aut nimiùm porrectæ, qua in re artifices etiam præſtantiſſimi videntur lapſi. Nam ut de vetuſtioribus nihil dicam, Durerus ipſe exhibet tam aſperas, ut ex ligno, non ex panno, videantur formatæ. Cujus rei cauſam memini audire olim ab artifice non ignobili, quod ex papyro chartavè formatas veſtes, & in quaſcunq; vellet rugas, plicatas imitari ſoleret. At in parte altera frequenter Juſtus Ammon labitur, infinitamq; ſeriem rugarum & volumina earum, alia ex aliis provenientia exhibere ſolet. Ingenio hac in re, quàm naturæ obſequentior, cùm ex adverſo debuiſſet obſervare, quod hîc benè docet Baptiſta: *Motus tales oportere eſſe faciles, & moderatos, gratiamq; potiùs, quàm admirationem laboris exhibentes.* Quæ in talibus conſuetudo antiquorum

quorum fuerit, haud liquet, niſi fors ex ſtatuis conjicere quis velit. In quibus tamen, cùm ſint cuncta eminentia, faciliùs naturæ potuerunt conformari. Id apparet, ne formari quidem apud eos ante tempora Cimonis Cleonæi conſueviſſe. Plin. XXXV. c. 5: *Cimon Cleonæus venas primùm protulit, prætereaq́, in veſte & rugas & ſinus invenit.* Sanè tales absq; ruga veſtes ſunt in tabula Iſiaca Pignorij. Unde reliqua etiam veteris & antiquiſſimæ picturæ ratio apparet. Quamquam paulò pòſt ſic creverit, ut non rugatas ſolùm, verùm etiam pellucidas veſtes, id eſt tales, ut per eas membra omnia conſpiciantur, pingere ſint auſi. Fuitq; auctor primus hujus rei Polygnotus. Plinius XXXV. c. 9: *Polygnotus Thaſius primus mulieres lucidâ veſte pinxit.* Porrò quod de veſtimentis, ramis arborum, ſimilibusq; dixi, etiam ad aquarum fluctus pertinet. Sequi ſeſe mutuò, unaq; incumbere alteri debent, niſi in ingenti tempeſtate, ubi mixta cuncta inter ſe pugnantiaq́ue, aut obſtaculum impedimentumq; aliud occurrat. Licet minor difficultas ſit in his, quàm reliquis.

§. 38. *Habet pars hæc adjumenta ſua plurimis ex diſciplinis. Quædam Phyſiognomia ſubminiſtrat, quædam Ethologia & Characteriſtica, etiam ex Phyſicis Hiſtoricisq; peti poſſunt, quæ huc faciant.*

Phyſiognomiæ uſus eſt, ad formandum cujusq; ingenium in vultu: Ethologiæ, ad exprimendos mores: Characteriſticæ, ad ſignandas perturbationes. Poteritq; pictor talia haurire, non ex philoſophis ſolùm, Ariſtotele, Theophraſto, Plinio, ſed & ex Poëtis, Comicis præcipuè ac Tragicis, quorum peculiaris ea eſt induſtria, ut depingant notis ingenium, mores, motus atque perturbationes cujusque. Conſulantur, quæ hoc fine ex ſcriptoribus antiquis, maximè Poëtis, lib. III. Pict. c. 5. Junius congeſſit. Supra omnia eximius eſt libellus Iſaaci Porphyrogeniti, Characteres Græcorum & Trojanorum Ducum continens, qui cum hiſtoria & rebus geſtis cujusq; conferendus. Apud ipſos aliquando hiſtoricos inveniuntur, quæ huc conducunt, quamquam actiones potiùs, & motus reliquos formare doce-

doceant. Interim non omittenda eſt naturæ ipſius obſervatio, ſine qua nec intelliguntur ſatis ſcripta veterum, nec ſecundum ea formari poterunt imagines. Attendendi vultus iratorum, triſtium, lætorum, aut aliis commotionibus variatorum, animoq; probè imprimendi, cumq; fert occaſio, lineamentis ſuis conſignandi. Faciendum idem & in cæteris actionibus, etiam in moribus rerum inanimatarum, arborum, aquarum, & id genus. Ita facilè, quod à nobis hac in parte requiritur, conſequemur.

§. 39. *Venio ad Gratiam, partem ſeptimam hujus artis; quam nomino ſingularem picturæ totius amabilitatem, ex ingenio artificis ad temperatam voluptatem omnia accommodantis natam.*

Venerem vocare Apelles ſolebat, primusq; obſervare in picturis. Plinio *Venuſtas* eſt. Quintiliano *Gratia.* Quod nomen nobis placuit. Quid autem per id verè denotarint veteres, haud ſatis liquet. Junius interpretatur id, quod ex curioſa obſervatio-

ne earum partium, quæ ad picturam pertinent, reſultat. *Venerem*, inquit, *ſummus artifex dicit peculiarem inventionis, ſymmetriæ, coloris, motûs, diſpoſitionis deniq; gratiam per univerſa picturæ membra ſic diffuſam, ut non modò inventione, ſymmetriâ, colore, motu, diſpoſitione ſpectantes teneat, ſed multiplici ſingularum partium harum venuſtate, in unum effloreſcat.* Sed exiſtimo, ſi ſit ex his omnibus, non poſſe eſſe aliud quippiam, & ab illis omnibus diverſum. Saltem qui habebit iſta omnia, etiam hoc habebit. At habere negat Apelles, ut proinde ex his eſſe nequeat. Nam expreſsè dicit de pictoribus ætatis ſuæ, *ipſis cætera omnia contigiſſe, ſed hac ſola ſibi neminem parem*. Removet hanc *ſolam* à cæteris omnibus, & facit penitùs diverſam, cumq; alia *omnia* ipſis concedat, hanc tribuit ſibi uni, ut ex dictis verbis apud Plinium XXXV. c. 10. manifeſtum eſt. Quid ergò arbitrabimur fuiſſe? Singularem amabilitatem picturæ, iſtis omnibus adjectam. Quæ ut rectiùs intelligatur, animadvertendum, eſſe in prædictis partibus univerſis, ſummum ultimumq;, ut imitemur naturam, quam qui expreſſit, arti ex illarum regulis ſatisfecit. Sed eſſe ſimul

præter-

præter naturam in picturis, quod viſum moveat, quod oculos delectet, idq; non repugnans quidem aliquid naturæ, ſed tamen ab ea cum ratione pauliſper recedens & accommodans ſe intuentium judicio ac voluptati. Id quod intelligimus ex Lyſippo, quem icciricò Plinius XXXIV. c. 9. dicere ſolitum, ait, *ſtatuas à veteribus factas, quales eſſent homines, à ſe, quales eſſe viderentur*, Manifeſtum eſt, Lyſippum obſervaſſe deprehendiſſeq; aliquid in hominibus, quod naturâ quidem non eſſet, eſſe tamen videretur, & ad illud magis, quàm naturam ipſam ſuum accommodaſſe opus. Id verò nihil aliud, quàm gratia prædicta, quod apparet, quia inde ſtatuæ ipſius maximè ſunt commendatæ. Quod icciricò dictis omnibus adjiciendum. Qui hoc non obſervat, licet totam exprimat naturam, fruſtra eſt, neo amari poteſt. Deniq; deſtitui non levi parte artis intelligitur. Diſcimus ex Fabio, qui lib. X. c. 10. Demetrium teſtatur reprehenſum, tanquam nimiùm in veritate exprimenda. *Fuitq;, ait, ſimilitudinis, quàm pulchritudinis amantior.* Etiam Quintiliano judice, pulchritudo aliud quid eſt à ſimilitudine; nec conſiſtit in ſimplici ac rigoroſa

veritatis imitatione, ſed expreſſione quadam ejus, quod videtur. Quod cùm ne Durerus quidem ſatis intelligeret: objectum ei ab artifice ingenioſo, *tanquam nimis exprimeret, quod eſſet*, ut Henricus Votton auctor eſt in Elementis Architectonicis. Rigidior nimirum videbatur, veritatisq; tenacior, quàm admitteret pulchritudo, quæ non eſt alia, quàm iſta, de qua gloriari Apelles ſolebat, Venus gratiaq;. Quæ proindè maximè conſiſtit in eo, ut ſerventur rerum ſpecies, exprimanturq;, prout pulcherrimè perfectiſſimeq; putantur ſe habere. Quò pertinet initiò quidem artis omnis ſtudioſa occultatio, cum quæcunq; deniq; pinguntur, tum demum verè optimeq; picta ſint, cùm non ab arte, ſed natura videantur formata. Deindè fuga nimiæ ſollicitudinis, quæ quantum admirationem auget, tantum detrahit de jucunditate. Plinius XXXIV. c. 9. loquens de Callimacho: *Hujus ſunt ſaltantes Lacenæ, emendatum opus, ſed in quo gratiam omnem diligentia abſtulerat.* Expreſſis verbis ait, nimiam diligentiam obeſſe gratiæ, hoc eſt, illi ipſi Veneri, de qua gloriari Apelles ſolebat. Neq; rationis indulgentia ſeu phantaſia debet eſſe major,

major, quàm permittit ſuavitas & delectatio. Quod cùm non attenderent pictores veteres, alius quidam curâ, alius ratione, alius phantaſiâ celebrantur, unicus Apelles laudem gratiæ invenit. Quamquam quod & ipſum benè obſervandum, diligens harum rerum cuſtodia, non tam gratiam illam gignat, quàm locum ei faciat. Adeò ne in ipſa quidem conſiſtit, ſed eſt aliud quid diverſum, quod nec verbis definiri ſatis poteſt, quemadmodum & Demontioſus teſtatur. Tantum abeſt, ut illius regulæ præceptavè, quædam poſſint tradi, velut à quibus omnibus, cum ratione aliqua recedat.

§. 40. *Comparatur pars hæc, primùm, proprij ingenij felicitate quadam, poſteà judicij communis ſtudioſâ obſervatione.*

Oportet profectò ſingulari pollere bonitate rectitudineq; ingenij, qui ſic invenire gratiam hanc ac formare poteſt, ut nihil noceat partibus cæteris hujus artis. Id quod pro ſe ipſe quisq; abundè intelligit. Neq; alia eſt cauſa, quare apud Veteres pauciſſimi, ac neſcio an præter unicum A-

pellem, quiſquam alius, hac laude cenſeantur. Nempe quod induſtriâ vel arte quadam poteſt expediri, ad id quisq; ſibi ipſi adjumento eſſe poteſt. Quod ex ſola pendet rectitudine ingenij, id niſi ſingulari indulgentia naturæ, nunquam obtinebitur. Quamquam autem caput hujus rei in felicitate illa proprij ingenij conſiſtat, prodeſt tamen non profectò nihil exploratio judicij communis obſervatioq; ſtudioſa. Nam cùm nemo non intelligat, ſi quid in pictura pulchrè ſeſe habeat, ſecuſvè, vel iſte ipſe omnium conſenſus, vitia virtutesq; ejus aperiet. Neq; mihi dubium, quia hoc egerint quæſierintq; veteres pictores, proponendo ſua opera in publico. Fuitq; hoc in primis conſuetum Apelli, ſicut Plinius teſtatur; qui fortaſſis ideò ante alios hac parte valuit. *Apelles*, ait, lib. XXXV. c. 10, *perfecta opera proponebat pergulâ tranſeuntibus, atq; poſt ipſam tabulam latens, vitia, qui notarentur, auſcultabat, vulgum diligentiorem judicem, quàm ſe, præferens.*

§. 41. *Supereſt pars ultima, quam dixi colorem. Eum appellamus certum*

lucis

lucis umbraq́ temperamentum, in idonea materia, factum ab arte vel natura, cujus interventu alia poſſint colorari.

De colore ultimo loco agimus; & debent eum reliqua naturâ ſuâ antecedere, ut quæ omnia colorum beneficio tandem exprimantur. Colorem autem eſſe lucis umbræq; aliquam miſturam, docet Ariſtoteles in peculiari de coloribus opuſculo. Nos hoc loco eum intelligimus, qui exiſtit in idonea materia, ut liquore ſuccovè, aut terrâ metallicâ, aut lapide, aut re aliâ hujusmodi, quæ in uſus picturæ poſſit accommodari. Quales vulgò propter coloris copiam, quam in ſe continent, & communicare aliis poſſunt, ſimplici colorum nomine ſolent venire, ſicuti ex Plinio, Ovidio, Cicerone, aliisq; notum eſt. Veteres aliàs *pigmenta* nominarunt, quia eis pingatur. Plautus in Epid. *quem Apelles Zeuſisq́ duo pingent pigmentis ulmeis.* Cicero quoq; utitur hac voce in L. de Divin: *An aſpera temerè pigmenta in tabula oris lineamenta efficere poſſunt.* Et in de Clar. Or: *Intelliges nihil iſtis*

linea-

lineamentis, niſi eorum pigmentorum, quæ inventa nondum erant, florem & colorem defuiſſe. Et quia hæc pigmenta non tam ipſa ſunt colores, quàm colorum, ut ſic loquar, veluti vehicula, hinc non *pigmenta* ſimpliciter, ſed *colores pigmentorum* dixit Apulejus in libello de Mundo. *Pictura ex diſcordibus pigmentorum coloribus imagines facit.* Apud Virg. Georg. II. *venenum* eſt, pro colore. Nam *Aſſyrium venenum*, purpuram appellat, ut ex Servio cognoſcimus. Plinius pro eodem, voce *medicaminis* & *medicamenti* utitur, ut patet libro ejus IX. c. 35. Scilicet & Græci φάρμακα quandoq; nuncuparunt. Dion. Hal. de compoſ. voc: οἱ τὰ ζῶα γράφοντες τὰ αὐτὰ φάρμακα λαμβάνοντες, οὐδὲν ἐοικότα ποιοῦσιν ἀλλήλοις τὰ μίγματα. Pollux lib. VII. c. 25: χώματα φάρμακα &c. Plutarcho ſunt φαρμακεῖα in de oraculorum defectu, ubi ait, ſpeciem nullam poſſe fieri ἄνευ φαρμακειῶν συντριβέντων. Cæterùm coloris uſum in picturis primus excogitavit Cleophantus Corinthius, fuitq; color ille rufus, ex teſta. Ante ſimplices ducebant lineas carbone, cretâ, atramento, ac ſimilibus. Plinius lib. XXXV. c. 3: *Primi exercuere* (linearem picturam) *Ardices Corinthius, & Telephanes Sicyo-*

Sicyonius, ſine ullo etiamnum colore: Primus invenit eas colorare teſtâ, ut ferunt, tritâ. Vides, primum pigmentum ex teſta trita, idq; tum unicum ac ſolum. Quare errat Harsdorferus in Diſſertatione Germanica de pictura, quando illi tribuit inventum omnium colorum. Unus certè color ille ſervatus eſt poſt ipſum diu, donec tandem veniretur ad quatuor. Philoſtratus lib II. Vitæ Apol. c. 4: *Nam & unus color veteribus pictoribus ſuffecit, & procedente arte, quatuor erant ſatis. Inde paulatim plures pluresq; adhibiti.*

§. 42. De coloribus in univerſum obſervanda tria ſunt: Primùm, varietas, deindè nomen ac natura cujusq;, deniq; cunctorum præparatio. Quod primum attinet, colores omnes vel nativi ſunt, vel factitij.

Illos nomino, qui producuntur à natura, hos qui fiunt arte quadam ac ingenio humano. Agnoſcit iſtam differentiam & Plin. lib. XXXV. c. 6: *Ex omnibus coloribus*, inquit, *alij naſcuntur, alij fiunt.* Idem facit & Vitruvius VII. c. 7. quem vide.

§. 43.

§. 43. *Dividuntur omnes in claſſes duas: Nam vel ſimplices ſunt, vel mixti.*

Simplices nunc voco, quaſi primos elementaresq́; , ex quibus reliqui componuntur. *Præcipuos* Voſſius dixit. Sunt autem illi, qui mixturâ nullâ poſſunt fieri, quia genere toto à ſe mutuò differunt.

§. 44. *Simplices colores numero ſunt tres: Rubeus, cœruleus, & flavus. Et ſociabiles cunctis, lux,* i.e. *albus, & umbra* i.e. *niger.*

De colorum numero variè diſputant eruditi. Alij duos ſaltem ſtatuunt, album atrumq́; , & ex his miſceri putant reliquos, ut videri poteſt apud Ariſtotelem in prædicto libello. Cardanus ſtatuit quatuor in IV. de Subt. *Sunt colores principales quatuor, albus, rubeus, viridis, & obſcurus.* Idem tamen neſcio an oblitus ſui lib. XIII. de Variet. facit quinq́; , ubi nomina interim non addit. *Sunt autem,* ait, *colores principales quinq́.* Tradit & Voſſius quatuor, ſed alios à Cardano. *Præcipui colorum,* inquit, *quatuor ſunt: Albus,*

Albus, niger, ruber, cæruleus. Bullingerus facit decem, ſicut Voſſius teſtatur. Verùm primi iſti philoſophicè de hac re diſputant, ſequentes puto, Veteres reſpiciunt, quos conſtat quatuor coloribus pinxiſſe. Non tamen ſi non illi pluribus pinxerunt, neceſſe eſt iſtos ſolos, omnesq; ſimplices fuiſſe. Adde, quòd ne quidem certo conſtet de nonnullis. Itaq; rem ipſam, & experientiam hodiernam ſequi maluimus. Quòd autem album atrumq; omittimus, in eo ſequimur Leonem Baptiſtam, qui & ipſe non in numero colorum refert, verùm alterum luminis, alterum umbræ dicit habere rationem, quorum deindè adjectione, colores innumeri oriantur. Verba ejus hæc ſunt, lib. I. de Pictura: *Creſcente umbrâ coloris claritas & albedo deficit, lumine verò inſurgente clareſcit & fit candidior. Ergò pictori ſatis perſuaderi poteſt, album & nigrum minimè eſſe veros, ſed colorum, ut ita dicam, alteratores.* Neq; aliter cenſuere veteres pictores. Undè Plinius lib. XXXV. c. 11: *Omnes, quæ volunt eminentia videri, candicantia faciunt, coloremq; condunt nigro.* Quamqam Leo Baptiſta præter album nigrumq; ſimplices colores faciat quatuor pro diverſitate elementorum

torum, rubeum, quem igni, cæſium, quem aëri, viridem, quem aquæ, cinereum, quem terræ comparat. Sane vocat quoq; Ariſtoteles colores ſimplices, *quicunq; elementorum naturam conſequuntur, ignis, aëris, aquæ, terræ*, ſicut ipſe ait c. 1. de coloribus; ſed longè aliter hoc exponit, imò penitùs diſſentit, ut qui aëri, aquæ, terræ album tribuat colorem. *Aër*, inquit, *& Aqua ſuopte ingenio alba ſunt.* Item, *Terra naturâ ſuâ alba eſt.* Nec intelligo ſatis, quare viridem colorem inter ſimplices referre poſſit Leo, quando nihil uſitatiùs, quàm eum ex aliis componere. Sed neq; aquis convenit, ut color eis viridis tribuatur, & longè aliter fecerunt Veteres, quod vel ex circenſibus coloribus apparet. Nam ex iis viridis aſſignabatur terræ, propterq; pratorum latè virentium jucunditatem *prattinus* dicebatur. Aquis verò *venetus*, id eſt, cœruleus. Iſidorus lib. XVII. c. 41: *Junxerunt colores praſinos flori & terræ, venetos aquæ vel aëri, quia cæruleo ſunt colore.* Sic Tertul. lib. de Spect: *Conſecrarunt praſinum terræ matri, venetum, cælo & mari.* Patet verbis hiſce, ne terræ quidem idoneum à Leone Baptiſta redditum eſſe colorem, ut omittam, quòd cinereus

quoq;

quoq; non ſit ſimplex, ſed conſenſu omnium compoſitus ex duobus. Ergò elementa quidem, & eorum numerus hîc nihil nos morantur. Verùm tres ſtatuimus colores ſimplices, rubeum & cœruleum, de quibus propè non eſt dubium; tertium verò flavum ſive luteum, ut ab initio eſt dictum. Sanè tres hi maximè ſunt à ſe mutuò diſtantes, conjunctiq; vel inter ſe, vel cum luce umbraq;, colores omnes cæteros conſtituunt; ipſi verò effici mixturâ nullâ poſſunt. Scio quidem, eſſe alia in opinione Demontioſum, cujus verba iſta ſunt in de Pict: *Certum eſt in pictura, minimùm opus eſſe his quatuor coloribus, albo, nigro, rubro & cœruleo, quorum mixturâ cæteri omnes componuntur. Ex albo & nigro, cineraceus, ex rubro & nigro fulvus, ex rubro & cœruleo viridis, ex hoc & rubro luteus, ex albo & cœruleo caſius, & ex his rurſus alij innumeri.* Putat, luteum miſceri, & ex viridi ac rubro fieri. Verùm errat quàm longiſſimè, quod negabit nemo, qui vel ſemel minimam colorum vidit mixtionem. Nam ex viridi & rubro quidem adeò non fit luteus, ut cùm diſtent plurimùm, ne quidem inter ſe poſſint commodè miſceri. Neq; minùs eſt prodigioſum, quod de viridi

 colore

colore tradit, quaſi ex cœruleo & rubro componatur, aut de fulvo, quaſi ex rubro nigroq; exiſtat. Colores longè alij ex iſtiuſmodi mixturis oriuntur, quod vel pueri, qui ochram terunt, cognovere. Itaq; hac in re Demontioſi judicium non aſſequimur, ac iccircò ne ſequi quidem poſſumus, uti factum eſt à Voſſio in Graphice, quod nollemus. Sciverit ipſe rationem temperandi hos colores iſto modo, nos cum omnibus noſtri ſeculi pictoribus ignoramus, ac propterea in prædictis tribus manemus, eiſq; nigrum albumq; ut lucis umbræq; indices adjicimus.

§. 45. *Mixti ſunt vel principales, vel ſecundarij: Illi novem numero, ſubalbus, incarnatus, cinereus, cæruleus, ſubrubeus, fuſcus, aureus, viridis, purpureus. Cæteri infiniti ferè, pro ingenio pictoris, rerumq́, quas ſtatuit depingere.*

Fieri mixtura ſolet viâ duplici, conjunctione quadam ſimplicium, vel adjectione lucis umbræve, id eſt, albi coloris & nigri. Nam ex albo cum flavo fit *ſubalbus*, cum rubr

bro *incarnatus*, cum cœruleo *cinereus*. Ex nigro cum cœruleo *ſubcæruleus*, cum rubeo *ſubrubeus*, cum flavo *fuſcus*. Atq; tales quidem fiunt adjectione lucis & umbræ. Cùm verò inter ſe miſcentur, ex flavo & cœruleo fit *viridis*, ex flavo & rubeo *aureus*, ex cœruleo & rubro *purpureus*, ſicuti hoc ipſum à Kirchero quoq; in arte magna lucis lib. I. c. 2. obſervatum. Sed ad conſequendùm hoc eſt opus temperaturâ quadam juſtâ, quæ ex probo oritur judicio, & frequenti conſuetudine, absque qua ſunt fruſtrà omnes regulæ, neq; tradi quidquam, aut addiſci feliciter unquam hac in parte poteſt.

§. 46. *Caterùm tametſi tantùm tres ſint ſimplices colores, & cum eis album atq; nigrum, tamen illi ipſi non eodem modo producuntur vel ab arte, vel natura. Hinc diverſa nomina colorum ſeu pigmentorum potiùs, quibus artifices utuntur.*

De colorum illo genere, quod vulgò minerale dicitur, ut Philander Barbarusq; ad Vitruvium obſervant, hoc in loco nobis

ſermo, nam aliàs ſunt alia vocabula colorum à rebus naturalibus aut artificialibus deſumpta, ut color niveus, lacteus, argenteus, plumbeus, cinereus, luteus, flammeus, roſeus, citreus, praſſius, ferrugineus; vel ab animalibus, cervinus, muſtellinus, aquilinus, & deinceps. De quibus præter Tyleſium, agit & in libris de ſubtilitate, & in aliis de varietate Hieronym. Cardanus. Neq; ad hanc artem pertinent, aut juvare ipſam poſſunt.

§. 47. *De albis primo loco agam, ſunt in eis Ceruſſa, Bolus, Fiſſile, Candidum nativum.*

Ceruſſa, *bleivveis*, Bexicoris naſcitur in plumbi fodinis, reperiturq; etiam in argo Vicentino, uti ex Kentamanni rerum foſſilium catalogo intelligimus. Fit tamen frequentiùs arte, unde & factitiis coloribus à Plinio, Vitruvio, & aliis antiquis adnumeratur. Bolus albus, *vveiſſer bolus*, ſpecies eſt terræ, ac cùm aliundè, tum ex agro Juliacenſi comparatur. Meminit ipſius Valentinus Boltzius inter albos colores. Fiſſile candidum, *Schifervveis*, eſt ex genere lapidum foſſilium, nî fallor, reliquosq; ſupe-

ra

rat candore. Veteres nec hujus, nec alterius meminerunt. Nominat Philander ad Vitruvij lib. VII. c. 5. quoddam arſenicum album inter colores. Verùm cùm id mihi ſit ignotum, tradere de eo viſum non eſt.

§. 48. *In nigris, ſola creta eſt nativus color.*

Creta nigra, *Schvvarze Kreide*, aliàs pnigites, naſcitur ut creta alba, verùm in pigmentis nigro factitio potiùs utuntur. Meminit & Plinius terræ nigræ lib. XXXV. c. 6: *Atramentum quoq;*, ait, *inter factitios, quamquam eſt & terra gemina originis.* Sed hæc eſt alterius conditionis, vulgoq; *Melenteria* vocatur. Nec loliginis, aut ſepiæ nigrum, licet ſit nativum, in hoc genere colorum.

§. 49. *In rubeis Cinnabaris, Minium Rubrica, Sanies Draconis, Hematites, Bolus Armenus nativi.*

Cinnabaris, *Zinnober*, naſcitur in fodinis argenti vivi, licet plurimùm & arte præparetur. Antiqui *Minium* vocarunt, ut Plinio Vitruvioq; memoratur pluribus. Eſt & *Sinopis* illius quædam ſpecies, quæ ideò *Mi-*

nium Cappadocium appellabatur, ut Salmaſio notatum. Minium, *Menia*, ita dictum à fluvio Hiſpaniæ, cujus in vicinia effodi cæptum, diu poſt Cinnabarin. Meminit & Plinius hujus. Inventum olim & in Bohemia fuit, Cardano auctore. Rubrica, *braunroth*, *milton* Græcis, terræ genus, uti veteres conveniunt. Apud quos ex Ponto Ægyptoq; habebatur. Sanies Draconis, *drachenbluth*, lachryma eſt arboris ex Inſulis Indiæ Fortunatis. Hic eſt color, quem *Cinnabari Lybicum* & *Indicum* veteres nominarunt, ſi Salmaſium audimus. Idem olim & Philandro viſum ad Vitruvium Hæmatites, *bluthſtein*, lapis ſanguini ſiſtendo idoneus, reperitur in fodinis ferri, etiam Plinio auctore lib. XXXVI. c. 20. ubi tamen non ſic ſimplici, ſed uſto ſcribit uſos veteres. Neq; mentionem ejus facit inter cæteros colores. Bolus Armenus, aut *Roter bolus*, terræ genus eſt, ſic à regione dictum ubi reperitur. Putat Philander, hanc eandem eſſe, quæ Vitruvio ſit Rubrica Lemnia, quando qui Armenus Bolus dicitur, non ex Armenia hodie, ſed Lemno Inſula ad nos advehatur, confirmatq; hoc judicio Antonij Muſei.

§. 50.

§. 50 *In flavis nativi ſunt auripigmentum, ſandaracha, ochra plumbana, ochra vulgaris, gummi guttæ umbra, terra Colonienſis.*

Auripigmentum, *operment gelb*, cujus Plinius Vitruviusq; meminerunt, Græcis *Arſenicum luteum*, fodi in Ponto aut Syria ſolebat. Hodiè in Germania quoq; reperitur. Sandaracha, *Rauſchgelb*, eodem Plinio auctore naſcitur in metallis auri. Noſtri quoq; ex fodinis habent. Ochra plumbana, *bleigelb* vel *Maſtichot* naſcitur in plumbi metallis. Veteres ipſius nullam faciunt mentionem, niſi fortè ipſis ſimplici ochræ nomine in uſu fuerit, aut *ſil* ſit dicta, quando ſil & ochra penè idem apud veteres, ut Georgius Agricola, Hermolaus Barbarus, & alij tradidere. Ochra vulgaris, *ogergelb*, auctore Jubâ, naſcitur in rubri maris inſula Topatio. Itaq; non nativâ, ſed factitiâ Romani utebantur, ſi quæ Plinij eſt fides. Nam Vitruvius multis locis, etiam in Italia ſcribit inveniri. Quæ à nobis ſic vocatur, terra eſt uſus vulgatisſimi, ac neſcio an planè talis, qualis apud veteres hoc nomine ce-

lebrabatur. Gummi guttæ, *guttegum*, lacryma eſt arboris ex India occidentali; rectiusque *gutta gamba* ſcribitur. Hic planè ignotus color veteribus ante paucos annos ex India huc vehi cœpit medicinæ gratiâ. Umbra *umber*, vel, ut alij appellant, *braun oger* pariter ignota priſcis eſt, ex genere terrarum, quemadmodum & terra Colonienſis, *Colniſcherd*, ſic dicta, ut opinor, à regione, ubi repentur. Credo autem neq; hos diu colores cognitos fuiſſe, quando Valentinus Boltzius, qui de cæteris coloribus cum cura ſcripſit ſeculo ſuperiori, nullam eorum facit mentionem.

§. 51. In cœruleis eſt Cyprium, Azurium, Smaltum montanum, Gummi Lacræ, qui naſcuntur.

Cyprium quod eſt ultramarinum, *ultramarinblau* præſtantiſſimum in Cypro Inſula effoditur, undè nomen habet. Meminit illius etiam Dioſcorides, & *Cyaneum* appellat, ut Volaterranus lib. XXXVII. notavit. Azurium, *Lazurion*, ut recentiores Græci nominant, *laſurblau*, fit ex lapide, quem cum Arabibus vulgus hodieq; lapidem Lazuli appellant, quod Philander obſerva-

ſervavit. Cardanus ſcribit, genus quoddam iſtiusmodi haberi ex Hiſpaniis, ſed vilius, & ideò pſeudocœruleum appellat. Smaltum, *Smalte*, vel *Smeltze*, veteribus non exiſtimo fuiſſe notum, reperitur ipſum quoq; in metallis. Sanè apud Plinium ſunt cœrulei arenæ triplicis generis, è quibus unum non diſſimile videtur fuiſſe. Montanum voco, quod à vulgo *berghblau*, *Aſchblau*, *Aſcus*, dicitur. Poteſtq; & hoc unum ex arenis illis notis apud veteres fuiſſe. Lacra, *Lacra* gummi eſt ſeu lacryma ex arbore Indica ejus nominis.

§. 52. ***Sunt & ex mixtis aliqui nativi, ut chryſocolla, herbacea fiſſilis, creta viridis.***

Chryſocolla, *berggrün*, in mineris argenti reperitur. Fuit & veteribus nota chryſocolla colore herbæ ſegetis, latè virentis, uti tradit Plininus XXXIII. c. 5. humor in puteorum ſcrobibus per venam auri defluens, habebaturq; modò ex Macedonia, Vitruvio, modò ex Armenia, Dioſcoride & Plinio auctoribus. Herbacea fiſſilis, *Schifergrün*, eſt ex lapidum genere, neſcio an non ſimilis chryſocollæ Armeniacæ,

cùm & iſta fuerit ex lapide, Volaterrano auctore. Cretæ viridis fit mentio à recentioribus. Cardanus *Chlorogæam* græcâ voce nominat, ab Italis *Azurum* viride dicit appellari, naſciq; in fodinis æris & argenti fecibus. Volaterranus facit eundem cum *Appiano* Plinij: *Appianum*, ait, *haud diu repertum ex creta viridi.* Sed de creta hac non habeo ampliùs quod dicam.

§. 53. *Cæterùm & arte fieri plerique hi colores ſolent.*

Albus enim fit plumbi laminis in vaſe figulino, cui acetum optimum antè calefactum fuerit immiſſum, ſuſpenſis, vaſe occluſo arctiſſimè, illitu luti figulini, & expoſito ſoli, aut in loco calido locato. Adhæreſcit laminis poſt dies quatuordecim, ceu ſitus, abſterſusq; *ceruſſa* dicitur. Veteres *ſymmiſticum* vocarunt, quòd eſſet optimum. Ex quibus rationem hanc Vitruvius lib. VII. c. 12. Dioſcorides V. c. 94. Plinius XXXIV. cap. ultimo tradidere. Adde & quæ habet c. V. Subt. Cardanus. Fieri & color albus ex teſta ovi ſolet, aceto optimo per quatriduum macerata, mox ſiccata, uſta, contuſaq; in pulverem, *Eierſchalen-*

kreid

kreid vocatur. Niger fit ex fuligine tædæ, hoc eſt piceæ aut pini, quem includunt cameris. *Kynſchvvarz* ſive *Kynrus* dicitur, meminitq́; confectionis hujus Plinius quoque prædicto libro, & ante ipſum Vitruvius. Verùm meliùs, ſi fuliginem lucernæ, oleo paratæ, excipias lance ſtanneâ impendente, perq́; intervalla diligenter detergas pennâ. Neq; genus aliud idoneum magis ad picturas lineares, quia & delicatum valdè, & aterrimum. *Lampſchvvarz* appellare conſueverunt. Alij carbonibus, alij exſiccatâ vini fece, coctaq́; in fornace utebantur, ut ijdem docent. Polygnotus & Mycon invenere ex vinaceis exuſtis, ut nos docet Plinius. Deniq; & ex ebore combuſto paratur, quod veteres *Elephantinum*, noſtri *helfenbeinſchvvarz* aut *beinſchvvarz* vocant. Primus Apelles excogitavit, ſi quæ Plinio eſt fides. Capiuntur eboris fruſtra, immittunturq́; vaſi figulino, interſperſâ arenâ, donec impleatur totum, quod occluſum & inunctum luto, immittitur fornaci, donec candefiat. Simili ratione invenerunt ex oſſibus malorum Perſicorum facere, quod ignotum fuit priſcis. *Pferſigſteinſchvvarz* nuncupant. Ruber fit ex duabus tertiis ar-

genti vivi, & una ſulphuris, cui liquefactæ duæ alteræ injiciuntur. Mox immittuntur vitro, inuncto luto, cujus orificium lamina ferrea, occluditur. In ea ſtylus ferreus per exiguum foramen mittitur, quo materia poſſit agitari. Vitrum deinde imponitur igni, primùm leni, pòſt vehementiori, donec rubri coloris fumus per operculi foramen exeat, ſignum confecti coloris. Hoc Cinnabari factitium appellatur, habet & Cardanus aliqua de confectione hujus in ſubtilitatum libris, quem vidiſſe operæ pretium fuerit. Minij penè eadem confectio ex argento vivo, chalchanto & ſale, ut is ipſe prodidit Cardanus. Matthiolus in Dioſcoridem affirmat, Minium pictorum hodiernum eſſe, quod Græci *Sandicem* nominavere. Fit autem Sandix, ceruſſa in ferrea patina poſita, agitataq; juxta ignem, donec rubeſcat, ut Cardanus ait. Matthiolus ex plumbo aut ceruſſa in fornacibus peruſta dicit fieri, quod & Plinio eſt obſervatum lib. XXXV. c. 6; ubi tamen *Sandaracha* legitur pro Sandice, primusq; genere hoc coloris Nicius eſſe uſus proditur. Solet & ex ochra rubidus color fieri, candefacta igni, extinctaq; optimo aceto. Neq; aliud vide-

videtur velle Plinius, cùm ait: *Fit & cremato ſile marmoroſo, & reſtincto aceto*, nam ſil ochra eſt. Alius ex rubris color fit ligno Braſilienſi cocto cum aceto multo, & aliquantò cereviſiæ aut aquæ, addito alumine, & lachrymâ Arabicâ, moxq; percolato per linteum purum, *Breſilien* appellant. Veteres ignoravere. Quòd ſi hoc coloris genus infundatur cretæ, in ollæ modum formatæ, crebroq; iteretur, ſubſidebit in fundo color Laccæ ſimilis, quem idcircò Laccam adulterinam, *baſtartlak* appellant. Vera lacca fit ex ſedimento infectionum ex pimpinellæ baccis accuratarum, ut Matthiolus in c. 13. lib. I. Dioſcoridis teſtatur, quos Chermes vocant. Salmaſius ex cocci & verzini fece ait parari. Nomen habet ex Arabia, veteribus ignotum, qui pro eo Indicum vocabant. Artem præparandi ejus ſciunt optimè Florentini, undè quæ ab eis advehitur, *Florentinerlack*, & quia per Brabantiam mittitur, *Brabantiſchlack* vocari ſolet. Fit & Pariſiis, ſed minori dignitate, quod inde *Pariſroth*, aut quia in globos formatur, *Kugellak* nominatur. Pertinet ad hoc ipſum genus, quod à vulgo Turneſola, *Turneſol* vocatur. Duo ejus genera ſimiliter reperiuntur, unum

præ-

præſtantius, quo panni ſericij imbuuntur iterum iterumq́;, donec multum conceperint colorem, atq; ſic ad nos defertur. Alterum minùs præſtans, quod in pannis linteis ſervatur, & ad differentiam alterius *lumpenbraun* vocari ſolet. Cœrulei optima confectio eſt talis, auctore Cardano. In quernum vas aceti optimi pondo tria infunduntur, in eo priùs ſalis Ammoniaci qualiscunq; quadrans unciæ diſſolvitur. Indè bracteæ tenues argenti undiquaq; perforatæ parvis foraminibus ac vivo argento oblitæ ſuſpenduntur in baculo, ne multum diſtent ab aceto. Poſtea omnia fimo equino calido conteguntur, & poſt dies viginti cœruleum inſtar ſitûs adhærens abſtergitur. Fit & tali ratione, verùm minùs præſtans. Duæ partes teſtarum ex ovis, & una ſalis Ammoniaci tunduntur in mortario. Mox ærugo trita cum aceto prædictis addita immittitur ollæ, quæ benè obturata luto reponitur in loco calidiore per menſem. Hæc eſt ratio ſimilis antiquorum, uti ex Vitruvio cognoſcimus. Aliud eſt genus, quod fit baccis myrtillorum probè maturis in mortario contuſis, tum capitur menſura aquæ, unciæq́; quatuor calcis vivæ, dimidia cum

uncia æruginis integræ, & quinta parte ſalis Ammoniaci, miſcenturq; in vaſe peculiari, mox aqua vireſcens percolata baccis contuſis ſuperfunditur, coquitur igne & in veſica ſervatur, & *blauturni ſol* vocatur. Apud veteres hoc fuit ignotum, quemadmodum & illud, quod à noſtris *lagmos* dicitur. Fieri in Flandria conſuevit, uti Boltzio notatum, modo, quem hucusq;, quantum ſcio, nemo tradidit. Sequitur Indicum in magno pretio apud veteres, ut ex Plinio cognoſcimus. Ruellius glaſto ſeu Iſatide herbâ, quam & Paſtillam, noſtri *Waid* appellant, fieri affirmat contusâ, ſuccoq; cocto, & cœruleo innatante ferventibus catinis, exempto ſiccatoq; Vitruvius, qui & ipſe hujus meminit, cretam ait admiſceri. Sunt & alia hujus conficiendi genera, quæ ſcientes omittimus. Ex flavis ochram fieri ex plumbo, memorat Matthiolus in Dioſcoridem. Cardanus ſic de hac re: *Plumbum nigrum tamdiu in vaſe excoquito, donec colorem ochræ contraxerit. Fit & ex rubrica ochra, dum vaſe fimo oblito torretur.* Eſt autem illud quidem genus, ut opinor, quo plumbana ochra, hoc, quo vulgaris ſolet fieri. Aliud flavi coloris genus fit, flore tinctorio aquâ macerato,

rato, per calcem colato, coctoq;. Mox denuò percolantur omnia, additurq; cretæ benè tritæ dimidium, cum altero dimidio aluminis. Subſidente colore aqua reijcitur, ipſe ſiccatur, qui à noſtris *ſchuttgelb* dici ſolet. Fit etiam ex Rhamni baccis immaturis, aut caulium corticibus interioribus, in quibus piſa naſcuntur, conjectis in aquam, cum aluminis pauxillulo. Item ex croco in aceto macerato, exſiccatoq;. In viridibus eſt ærugo, *ſpangrün*. In vaſe cupreo laminæ cupreæ, cum ſcobe è limatura cupri deponuntur, ſuperfunditur acetum optimum, cum exiguo mellis, ſeponiturq; in loco calido. Poſt dies quatuordecim effunditur acetum exponiturq; ſoli in vaſe vitreo, ſubſidetq; color. Cardani ratio facilior. Æreum ſeu cupreum vas inversè alij vaſi cujuscunq; generis, in quo ſervatur acetum acerrimum, jubet imponi, & poſt dies decem detergi æruginem adhærentem vaſi æreo. Aliud eſt genus, quod ex Rhamni baccis fit maturis, paululùm contuſis & adſperſis alumine benè multo, mox die ſequenti ſuperfuſa cum lixivia coctis percolatisq;. Quod percolatum eſt, in veſica ſuſpenſum ſiccatur, Indiciq; coloris aliquantum

tum

tum additur, atq; *ſaftgrün* nuncupatur. Longè præſtantius, quod fit ex foliis gladioli contuſis cum alumine, ſuccoq; expreſſo, & ſiccato in ſole, *liliengrün* appellant, eſtq; noſtrâ ætate demum inventum, adeò non cognitum veteribus, qui ne prioris quidem generis tenuerunt rationem, quantum ex ipſorum monumentis novimus.

§. 54. *Atq; hactenus colorum nomina, quæ in uſu ſunt, attulimus. Præparationem eorum indicemus. Eſt illa duplicis generis: Nam aut ſicci ſiunt, aut madidi. Siccorum quoq; duplex ratio, una quæ fit lanis, alia quæ gypſo.*

Siccos nomino colores, quibus pingitur nulla dilutis aquâ, aliavè humidâ materiâ, ſicut creta ſolet fieri, carbone, ceruſsâ, & ſimilibus. Hujus prima ratio, quæ præparatur gypſo. Colores cujuscunq; generis abſq; ullo humore teruntur optimè. Pòſt additur non nihil gypſi contuſi redactíque in tenuiſſimum pulverem, adſpergiturq; paulum aquæ, ut fiat inſtar luti, formaturq; in modum quemcunq;, idoneum

 ad pin-

ad pingendum. Quantò colores erunt floridiores, tantò hoc procedet meliùs, perit quippè nonnihil ex coloris acuto per alborem gypſi. Quare ſunt, qui ejus loco ſaponem emollitum adhibere malunt. Altera ratio pauciſſimis eſt ſatis nota. Id tamen liquet fieri ex lanis, omni genere colorum tinctis. Itaq; iſtæ lanæ loco colorum ſunt, quæ breviſſimæ tenuiſſimæq; inſtar pulveris ſublito peculiari glutine inſperguntur aliæ aliæq;, prout color rei quæ pingenda eſt, requirit. Utraq; hæc ratio veteribus ignota fuit, atq; neſcio annon ſuperiori ſeculo excogitata demum. Puto autem primam illam habere auctorem quendam Vendelinum Dieterlin, pictorem Argentoratenſem eximium, qui ante annos circiter quadraginta vixit. Alterius picturas aliquando vetuſtiores memini me videre, ſed rariſſimas. Extitit tamen ante annos paucos, qui genus ſimile inſtituit in Hollandia, per lanas albas picturæ inſperſas. Neq; puto eſſe plures, qui illius rationem teneant.

§. 55. *Madidorum pariter eſt duplex genus, aliud quod præparatur oleo, aliud, quod aquâ.*

Oleum

Oleum ex lini ſemine reconditum in vitro, infusâ donec plenum fuerit, aquâ, exponitur ſoli, ſervaturq́;. Quantò vetuſtius, tantò ſolet eſſe melius. Hoc colores temperantur. Cæterùm non alij colores ad hoc genus utiles, quàm qui appellantur minerales. Ergò ſi qui aliàs in uſu ſolent eſſe ſucci, eos aſſimilari mixturâ ingenioſâ neceſſe eſt. Ac ne illis quidem omnibus hîc locus, non auripigmenti, non ſandarachæ niſi fortè, ubi nulla opus eſt mixtura. Neq; fuliginis atri magnus uſus, ſed pro eo, aut carbones, aut elephantinum adhibentur. Ceruſſam ſpicæ oleo temperare melius putatur. Atq; hæc eſt optima, pulcherrima, & maximè durabilis colorum præparandorum ratio, quippè quæ adverſus aquæ, cœli, aërisq; injurias valeat. An & à veteribus uſurpata fuerit, haud ſatis in aperto eſt. Nemo certè, quantum ſcio, ejus meminit. Neq; Plinius, vel ubi de pigmentis, vel ubi de oleo, aut lino agit, hac de re teſtatur quidquam. Imò planè diverſum poſſe colligi ex eo videtur, quando tradit de pictoribus antiquis, quòd eluere penicillos ſoliti ſint aquâ. Hoc enim haud fieri poteſt in coloribus temperatis oleo. Verba ejus

ſunt in cap. 7. lib XXXIII. ubi agitur de minio: *Alio modo pingentium furto oportunum eſt, plenos ſubindè abluentium penicillos. Sedit autem in aqua, conſtatq; furantibus.* Dixit conſueviſſe inter pingendum penicillos crebro implere minio, colore cariſſimo iſtis temporibus, & proindè grato pictoribus, ac quia pecuniâ comparare non potuerunt, furtis obnoxio, plenosq; illos, velut alio [illegible]tendum eſſet colore, abluere aquâ, mo[illegible] minium in aquis ſubſidens ſalvum educer[illegible]. Id quod non procedit in hoc genere colorum. Nam nec utiles eſſe poſſunt, ſemel oleo ſubacti, nec ex penicillis elui ullâ aquâ queunt. Simile quid colligi ex aliis Plinij verbis poteſt. Nam lib. XXXV. c. 6: ait: *Pingentes ſandyce ſublitâ, mox ovo inducere purpuriſſum, & ſic fulgorem minij* imitari conſueviſſe, quod ſimiliter in coloribus ol[illegible]o temperatis non procedit.

§. 56. *Etiam quod genus aquâ præpar[illegible]tur, eſt in duplici differentia, na[illegible] aqua ea temperari glutine ſolet; a[illegible] arborum lacrymâ Arabicâ.*

Gl[illegible]i-

Glutinis duplex genus eſt, unum ex cornibus ungulisq́; boum, alterum ex membranis. Verùm hoc antiquis parùm fuit notum. Fit decoctis membranis puris aqua, donec fiat lenta, tum percolata ſuperfunditur marmori, aut lapidi alij levigato, ſiccaturq́;. Alterum genus veteres laudabant, quòd ex auribus & genitalibus taurorum eſſet formatum. Plinius XXVIII. c. 17: *Glutinum præſtantiſſimum fit ex auribus & genitalibus taurorum.* Atq; hoc in uſu fuit apud veteres pictores. Itaq; idem auctor poſtquam docuiſſet variâ ratione adulterari, ſubdit: *Rhodiacum fideliſſimum, eoq́; pictores utuntur.* Sed eſt alterum præſtantius, non tamen niſi in picturis delicatioribus uſitatum, propter pretium & raritatem. Quod fit ope lacrymæ Arabicæ, id eſt hujusmodi. Decoquitur ea lacryma cum aqua & particula quadam Tragocanti ſaccharíq́; præſtantiſſimi, percolaturq́;, tum adduntur guttæ aquæ deſtillatitiæ ex roſis. Quanquam quod notandum, genus hoc non perinde aptum ſit quibuslibet coloribus. Nam Cinnabaris rectiùs temperatur vino ſublimato, vel aceto, ſicut & ærugo, & ſanies draconis. Minium, ochra, plumba-

na, laſura vel lixivia affuſa, circumacta digito, & paulisper ſubſideri paſſa, donec quod in ſummo natat, tenuiſſimum optimumq;, in alias aliasq; diffundi poſſit conchas. Quibus deindè aqua glutinis membranacei admiſcetur, ut fiant durabilia. Sed & hoc tenendum, quòd ſic temperatis ſemel coloribus, cùm uſus poſtulat, ſiccatos liquefieri aquâ purâ ſufficiet, donec rurſum malè inhæreant. Tum denuò temperari poſſunt dicto modo.

§. 57. *Pendet autem bonæ præparationis pars non minima ex eo, ut colores ſedulò terantur.*

Etiam veteres triviſſe colores diſcimus ex Plinio, qui oſtendit ſimul puerorum hoc fuiſſe negotium apud ipſos. Nam Apellem ait, dicere nonnunquam ſolitum Alexandro, *rideri eum à pueris, qui colores tererent.* Idem ex Æliano colligimus, quando lib. II. c. 2. *Megabyzum* ſcribit *deriſum à pueris Zeuxidis, qui Melinam terebant.* Neq; alius eſt *tritor colorum* apud ante dictum Plinium lib. XXXV. c. 13: *Erigonus*, ait, *tritor colorum Nealca pictoris.* Vult, ex pueris ipſius olim fuiſſe, quorum opera in terendis coloribus

ſit uſus.

ſit uſus. Quamquam propè poſſit colligi ex his verbis, peculiares, & huic tantùm muneri deſtinatos habuiſſe, rarò certè in ipſa inſtituiſſe pictura. Solet noſtris quoq; moribus puerorum iſte labor eſſe. Teruntur autem in tabula marmorea leviſſima, vel vitrea, nam & ex vitro craſſo ac ſolido tabulas in hos uſus fundunt. Nec inutiles tabulæ ex aliis lapidibus, modò duri ſint ac ſolidi, quos oblinere priùs multo lini oleo, & ſic utiliores facere conſueverunt benè ſiccatos ad ſolem. Etiam id, quo teruntur, lapis eſt, è grandiori ſilice, ut teneri manu poſſit, in imo planus. Licet verò alia ſit ratio aliorum, tamen optima videtur, cùm teruntur aquâ ſimplici ac purâ, & tum demum pro arbitrio temperantur. Indicium ſatis triti erit, cùm in eo nulla planè deprehenditur aſperitas, nulla arena, ſed eſt ſimilis butyro. Quod ut fiat celeriùs, per minutas partes erit terendus, & poſtremò confundenda omnia. Sanè niſi magnâ curâ tritus fuerit, & pictorem impediet, & picturæ dedecus afferet non exiguum.

§. 58. Servantur colores vel in conchis,

vel in fictilibus vaſculis olliſvè, aut pyxidibus.

In pyxidibus ſervantur triti cum aqua ſiccatiq;, ut mox tantum ex eis capiatur, quantum oleo ſubactum ſufficere in unius aut alterius diei opus poſſit. Nam ſi plus ſubigatur, areſactum evadit inutile. Habent ad id ligneam tabellam noſtri, cum foramine in extrema parte, per quod pollice incerto tenent. In tabella illa ſubigunt colores neceſſarios, oleoq; temperant cum cultro. In vaſculis fictilibus habentur præparati glutine, ut areſacti poſſint humectari liquefieriq; ignibus admotis, ſine quibus gluten ægrè ſolvitur. In conchis deniq; præparati lachryma Arabica. Idq; utiliſſimum eſt genus. Licet enim alij fictilibus, alij vitris, alij ſtanno, aliovè metallo utantur, ſolent tamen citò corrumpi in eis, propter vim Arſenici, & rerum aliarum acrium rodentiumq;, quæ inhærere metallis ſolent. Neq; aliter feciſſe veteres videntur, undè conchæ inter inſtrumenta pictoris apud juriſconſultos. Martianus leg. pictoris ff. l. de fund. Inſt: *Pictoris inſtrumento legato, cera, colores, ſimiliaq; horum legato cedunt. Item penicu-*

peniculi, & cauteria, & concha. Niſi quis ex Paulo colligat, miſcendis potiùs coloribus inſerviiſſe. Nam is lib. 3. recept. ſent. 4. de uſufr. pro eo, quod Martianus vocat conchas, habet vaſa temperandorum colorum: *Inſtrumento pictoris legato*, ait, *colores, penicilli, cauteria & temperandorum colorum vaſa debentur.* Quamquam & colores temperandi videantur illi apud Paulum, qui præparandi glutine, & accommodandi uſui; non qui tantùm inter ſe miſcendi, ut nihilominùs id maneat, quod dixi. Ceras tamen diverſicolores, quibus utebantur ad Encauſticen, habere non in conchis, verùm arculis ſolebant, de quibus teſtis Varro. III. de Re Ruſt. c. 17: *Pictores*, ait, *loculatas magnas habent arculas, ubi diſcolores ſunt ceræ.* Nempè alia eſt horum colorum ratio, & de quibus antè egimus. Illæ aquis, hæ non niſi igne, ut opinor, ſolvebantur, ubi conchæ ſunt inutiles. Sive autem hoc, ſive alio ſerventur modo, danda opera, ne exponantur pulveri. Neq; enim res eſt alia, quæ ipſos celeriùs corrumpit.

§. 59. *Venio nunc ad colorum uſum, in quo primum eſt, ut rectè miſceantur:*

M 5

pictorum: *χρώματα κεράσαι, κεράσασθαι, μίξαι, συμμίξαι, συγχέαι, συγχέασθαι.* Obſerva & *συγχέασθαι* hoc ſenſu, eſt enim ipſum Latinorum *confundere.* Cæterùm hanc artem inveniſſe ac exercuiſſe primus creditur Apollodorus Athenienſis. Plutarchus in libello, Bellóne an pace illuſtriores fuerint Athenienſes: *Apollodorus pictor primus inter homines reperit colorum mixturam.* At perfeciſſe illam, ac ad ſummum extuliſſe faſtigium, Apelles & Parrhaſius videntur. Diodorus Siculus lib. XXV: *Apelles & Parrhaſius uſu edocti coloribus benè temperatis, artem pictoriam ad ſummum extulerunt.*

§. 60. *Proximum eſt, ut decenter diſponantur.*

Neq; enim omnes quoquo modo juncti eandem ſervant gratiam, ut ſi jungat quis rubro purpureum, aut albo flavum. Eſt autem diſpoſitionis hujus regula communis prima, ut jungantur, qui ſunt maximè inter ſe diſtantes, obſcuris ſcilicet clari. Id quod & Cardanus monuit lib. IV. Subtil: *Non*, inquit, *abiter colores ſunt diſponendi, ſed inter claros obſcuri, inter obſcuros clari ſedem habeant. Ergò rubens inter cæruleum & viridem, candi-*

candidus inter cinereum & croceum interponendus erit. Deindè ut jungantur, qui mutuò inter ſe maximè amici. Nam colores quidam ſunt, qui non amant mutuam ſocietatem. Ita viridis decentiùs jungetur candido aut purpureo, quàm cœruleo aut flavo. Altera eſt regula, ut in proximis quibusq; omnia ſint clara, in remotioribus obſcura. Nam cùm omnia, quæ clara ſunt, ſint etiam extantiora, illa ipſa claritas colorum viciniora cuncta faciet. Sunt autem clari maximè colores, niveus, aureus, flavus, rubens: Obſcuriores, viridis, cœruleus, purpuereus, &c.

§. 61. *Sequitur, ut unus cum altero aptè committatur.*

Commiſſionem iſtam priſci *Harmogen* vocare ſolebant. Plin. XXXV. c. 5: *Commiſſuras colorum & tranſitus Harmogen appellavere.* Conſiſtitq; in eo, ut paulatim minuantur, miſceanturq; ſic, ut tranſire unus in alterum in confinio videatur. Quod niſi aptè fiat, neq; luci, neq; umbræ ſua ratio conſtabit. Quamquam non in omnibus picturis fieri hoc debeat, ut ſi quæ ad lumen nocturnum, aut ſolem multum imagines exhi-

exhibentur. Nam in his ſenſibiliter definiti lucis umbræq; termini, ut notum. Solent autem ad hanc rem faciliùs expediendam pictores uti penecillis hebetioribus, & dum adhuc madidi colores ſunt, extrema cujusque huc illucq; agitando minuere. Neq; aliâ meliori ratione jungi decenter poſſe videntur.

§. 62. *Quartum eſt, ut hilares, & qui lucis multum habent, non immodicè adhibeantur.*

Nam & cæteros colores vitiant, & arti derogant non parum, in ſe tantùm convertendo ſpectatorum oculos. Quin imò pictores ipſos reddunt ignavos, atq; ſuperficiarios in arte, dum ſe ſtudia hominum jucunditate colorum capere poſſe ſperant. Teſtatur Plin. lib. XXXV. c. 7: *Nunc*, inquit, *& purpuris migrantibus parietes & India conferente fluminum ſuorum limum, & elephantorum, & Draconum ſaniem, nulla nobilis pictura eſt. Omnia tunc meliora fuere, cùm minor copia. Ita eſt: quoniam rerum, non animi precijs excubatur.* Vitruvius lib. VII. c. 5: *Quis antiquorum non, uti medicamento, minio parcè videtur uſus eſſe? At nunc paſſim, plerumq; toti pa-*

ti parietes inducuntur. Accedit hac chryſocolla, oſtrum, armenium. Hæc verò cùm inducuntur, & ſi non ab arte ſint poſita, fulgentes tamen oculorum reddunt viſus. Reprehendunt ambo nimium ejusmodi colorum abuſum, perq; illum oſtendunt deveniri eo, ut ars negligatur, tantaq; non ſit, quanta cum minoribus pingitur. *Nempè quod antiqui inſumentes laborem & induſtriam probare contendebant artibus, id coloribus & eorum eleganti ſpecie pictores novi conſequuntur,* ait Vitruvius. At Apelles, ne quem tali modo decipere, aut ab artis meditatione trahere ad miraculum colorum velle videretur, picturas ſuas illinere atramento aſſueverat. De quo Plin. XXXV. c. 12: *Abſoluta opera atramento illinebat ita tenui, ut id ipſum repercuſſu claritates colorum excitaret, cuſtodiretq; à pulvere & ſordibus, ad manum intuenti demum appareret. Sed & tum ratione magnâ, ne colorum claritas oculorum aciem offenderet, velati per lapidem ſpecularem intuentibus è longinquo & eadem res nimis floridis coloribus auſteritatem occultè daret.* Sicut autem iſta obſervatio ad floridos colores pertinet in univerſum, ita maximè ad candidum. Nam rectiſſimè de eo Cardanus lib. IV. Subt. Cavendum eſt à candido

multum

multum in picturis, eſt enim veluti illarum venenum: Nam ſplendore ſuo venuſtatem primò & gravitatem quandam ab artis opere aufert, colores deindè reliquos obſcurat, & umbras rerum vitiat.

§. 63. *Quintum, ut in omnibus coloribus ſplendoris ratio idonea habeatur.*

Duo enim ſunt in omnibus coloribus, ſplendor quidam, & oppoſita ei aliqua auſteritas. Splendidum in colore id eſt, quod hilare, vegetum, floridum, lætum dicitur. Auſterum contrà, quod & adſtrictum, triſte, amarum, moribundum vocatur. Qua de re & in ſuperioribus nonnihil actum. De duobus hiſce iſta cautio habenda, ne promiſcuè adhibeantur in quibusvis. Quædam enim ſplendidis, alia auſteris amant pingi, peccaretq; qui aut ligna, (ut exemplo rem declarem) iſto, aut vitra hoc coloris genere exprimeret. Fiunt autem ſplendidi colores partim aptâ temperaturâ, partim medicaminis illetione poſt picturam abſolutam. Medicamen illud non eſt generis ejusdem. Nam in coloribus aquâ temperatis lachrymâ utuntur Arabicâ, in reliquis

reliquis vernice, quam plerиq; ſuo arbitratu præparant. Quamquam ſit præſtantius, cùm ſit ex albumine ovorum, agitato in ſpumam, reſolutoq; mox in tenuem quaſi aquam. Hoc illitæ picturæ fiunt hilares, iis locis, ubi eſt neceſſe. Neq; officit coloribus, ut illud alterum, quippè quod poſt tempus, paulò diuturnius flaveſcat. Etiam in colorum temperatura conſiſtit ſplendor ille, ac inductione, cùm ſubſternuntur, qui per inductos deindè pelluceant, & colorem faciant ſplendere. Quam rationem pauci probè noverunt, defuitq; illa etiam Ariſtidi ex veteribus. Id enim eſt, quod de eo ait Plinius lib. XXXV. c. 10: *Durior paulò in coloribus fuit.*

§. 64. *Sextum, ut inducantur tabulæ juſtâ quantitate.*

Pendet enim ex hac obſervatione ipſa diuturnitas picturæ. Veteres picturæ uni etiam, ſæpiùs colores eosdem inducebant, quò eſſet durabilior. Plin. XXXV. c. 11. de Ariſtide Thebano: *Huic picturæ* (de Jaliſo loquitur) *quater colorem induxit ſubſidio injuriæ & vetuſtatis, ut decedente ſuperiore, inferior ſuccederet.* Malè faciunt, qui hoc genus

nus cum tetrachromatis confundunt. Quomodo Notarum auctor ad Petronij Satyricon, ubi de monochromo Apellis ſermo eſt: *Ferri poteſt* τὸ *MONOCHROMON, d'une couche. Contra picturæ Jalyſi tetrachromon.* Imò verò tetrachromon non fuit. Eſt enim tetrachromon, quod coloribus eſt pictum quatuor, ſicut monochromon, quod uno. At Jalyſus pictus fuit pluribus, quàm quatuor coloribus. Certè inter eos Ariſtides auctor ejus non refertur, qui pinxerunt ſolis quatuor. Plin. lib. XXXV. c. 7: *Quatuor coloribus ſolis immortalia illa opera fecere, Apelles, Echion, Melanthus, Nicomachus clariſſimi pictores.* Hìc nulla mentio Ariſtidis, ut Jalyſus eſſe tetrachromon haud potuerit. Nam ob colores eosdem quartâ vice inductos dici tetrachrómon non potuit.

§: 65. *Atq; hactenus, quæ ad picturam bonam neceſſaria videntur, expoſuimus. Supereſt, ut quæ ad conſequenda ea requiriuntur, indicemus. Ea verò eſſe tria videntur: Natura idonea, informatio fidelis, & aſſidua exercitatio.*

N Nem-

Nempè ſine tribus hiſce nemo unquam ad perfectam artis cujuscunq; deniq; notitiam pervenit, ut jam olim à Plutarcho multis demonſtratum eſt. Atq; de natura quidem dubium vix poteſt eſſe, cùm præſertim quæ poëtas, ea etiam pictores faciant. Poëtæ verò nunquã fiunt, ſed naſcuntur, ceu Horati, de ipſis loquitur. Conſueverant equidẽ olim in Græcia tota pueros ingenuos docere picturas, Plinio auctore. Videturq; etiam Latinis id ſuaſiſſe Varro in Catone ſuo, ſeu de libris educandis. Sed ea diſciplina non tam artis aliquam perfectionem, quàm notitiam propoſitam habebat, quâ inſtructi non tam facilè deciperentur in emendis rebus, ad cultum amictumq; pertinentibus, ut ex Ariſtotelis VIII. Pol. c. 3. colligitur. Et expreſſis verbis Varro ait apud Nonium in plumario, *nullam, qua non didicit pingere, poſſe benè judicare, quid ſit benè pictum à plumario, aut textore in pulvinaribus plagis.* Itaq; tametſi multi pingerent, pauci tamen facti ſunt pictores, id eſt, artis hujus veri perfectiq; magiſtri. Tantùm valet bonam indolem naturamq; velut fundamentum induſtriæ futuræ accepiſſe. De magiſtris quoq; clarum eſt. Tametſi enim ea ſit quorundam

dam indolis felicitas, ingeniiq́; , ut imitari opera præſtantium artificum, etiam abſq; magiſtro valeant; tamen aut ſera erit artis ſolidæ cognitio, aut manca ſemper mutilaq́; , ac ſuis deſtituta fundamentis, & quæ, cùm aliquid laudabile producit, caſu potiùs id faciat, quàm ratione. De exercitatione deniq; ambigi hoc minùs poteſt, quo & in aliis cunctis artibus eſt ſummè neceſſaria. Rectiſſimè Theon initio Progymnas: *Picturæ ſtudioſis nihil profuerit cognoviſſe Apellis, Protogenis, & Antiphili tabulas, niſi pingere tentarint.*

§. 66. ***Cæterùm Naturæ intuitu requiritur, ut quis artem amet, ut ingenium habeat docile, ut ad imitationes promptum, ut animum concipiendis formandisq; imaginibus ac ideis facilem, ut judicium felix, elegans, acutum.***

Iſthæc enim omnia in pictore neceſſaria, ſicut vel ex iis intelligitur, quæ ſuperiùs attulimus, licet rarò cuncta, neq; niſi perfectiſſimis in artificibus concurrant. Atq; ſic concurrant, ut nihilominùs ex illis

alius hac, alius illâ parte magis valeat, Quintilianus XII. c. 10: *Floruit circa Philippum, & uſq; ad ſucceſſores Alexandri pictura præcipuè, ſed diverſis virtutibus. Nam curâ Protogenes, ratione Pamphilus ac Melantius, facilitate Antiphilus, concipiendis viſionibus, quas phantaſias vocant, Theon Samius, ingenio & gratiâ, quam in ſe ipſe maximè jactat, Apelles eſt præſtantiſſimus.* Quæ obſervatio eò pertinuerit, ut illi parti quiſq; maximè ſe dedat, ad quam pluribus à natura inſtructum ſe intelligit præſidiis. Si qui pollet imitandi facultate, *Iconicis picturis*, uti vocat Plinius, uti vulgus *Contrafacturis* ſuum ſtudium impendat. Qui formandis concipiendisq; imaginibus eſt promptior, hiſtorias & res geſtas pingat. Sed ut revertamur ad prædicta neceſſaria in artifice futuro, ante omnia requiri artis ipſius amorem, dubitare nemo poteſt. Ecquis enim unquam aut debitum ſtudium in arte quadam collocavit, aut ad aliquod illius adſcendit faſtigium, quam non amavit? Verùm amor parùm ſufficit, niſi & ingenium conveniens accedat. Amant picturas artemq; pictoriam illi etiam, qui ad eam rudes ſunt. Convenientia verò iſta eſt in eo, ut ſit docile ingenium,

atq; adeò præceptorũ regularumq; capax, quas multiplici ac diuturnâ obſervatione magiſtri artis condiderunt. Deindè ut promptum imitandis propoſitis exemplis, cùm pictoriæ ſit proprium, res ante oculos poſitas, lineis coloribusq; imitari. Ac tametſi à nutura habeamus omnes imitandi facultatem, ut Philoſtratus eſt auctor lib. II. Vitæ Apoll. c. 10. tamen ea major eſt, in aliis, in aliis eſt minor, ut is demùm verè ſit idoneus, in quo maxima inveniatur. Nam aliàs & illud verum, quod is ipſe habet lib. VI. c. 9: *Imitationem ſæpè ſtupor impedit.* Debet etiam inveniendi ac excogitandi quædam eſſe facilitas in eo, phantaſiæ ſubſidio, ſubminiſtrantis ea, quæ non poſſunt oculis proponi, illaq; ipſa quæ proponi poſſunt, emendantis, augentis, perfectiora, magisq; mirabilia reddentis. Itaq; & Plato hoc obſervat in Sophiſta, & ex artificibus præfert eum, in quo reperitur. *Artificum*, inquit, *hi quidem alia imitari accuratè poſſunt, illi verò poteſtatem habent fingendi aliquid cum ſumma admiratione.* Etiam Apollonius de hac re apud Philoſtratum VI. c. 9: *Phantaſia artifex imitatione ſapientior. Imitatio enim hoc tantum operatur, quod videt, phantaſia verò*

etiam quod non vides. Ad poſtremum etiam judicio valere debet, ut intelligat, quid inveniendum, quid ſit imitandum. Neq; enim omnia rebus omnibus, & locis & perſonis convenire poſſunt.

§. 67. *Reſpectu informationis opus, ut idoneos nobis eligamus magiſtros. Sunt autem illi duplices, vivi, mortuiq;.*

Per mortuos eos intelligo, qui hanc artem tradidere ſcripto, ut apud veteres, Uris, Melantius, Apelles, Euphranor, Pamphilus, Protogenes, Theophanes, quos & Junius laudavit. Quamquam addat alios, qui non de arte, ſed operibus ipſis quid memoriæ prodiderunt; puta quale quodq; fuerit, quâ ſpecie, à quo factum auctore, quanti habitum, & quæ alia ſunt hujus generis, qualia non pauca etiam apud Plinium leguntur. Ut proinde mirer, etiam Voſſium hoc prodere, ac confundere cum hoc priori genere, quàm recedere à Junio maluiſſe. Ex recentioribus extant Leo Baptiſta Albertus, Ludovicus Demontioſus, Pomponius Gauricus, Albertus Durerus, Julius

Cæſar Bullingerus, Carolus à Mander, Franciſcus Junius, quiq; ſequi eum amat per omnia ferè, Joh. Gerh. Voſſius. Videtur & Philander aliquid ſcripſiſſe hujus generis. Nam & ipſe pollicetur, & Cardanus laudat. Sed non puto veniſſe in publicum, certè laudari aliàs non video. De cætero referri ad hoc genus poſſe etiam alij videntur, ut qui de pulchritudine, ſive hominum, ſive rerum aliarum ſcripſere. Qualis Laurembergius cum ſua Paſicompſe. Viri magiſtri ſunt pictores, qui primùm ipſi eſſe debent artis ſcientiſſimi, non reſpectu uſûs ſolùm alicujus, ſed interioris rationis fundamentorumq;, ut non modò ſciant pingere, ſed & quare quidq; pingendum ſit, intelligant, quod in prorſus paucis hodiè reperias. Deinde in docendo fideles, qui nihil quæſtûs ſui causâ, vel per invidiam occultent, verùm cuncta ordine, perſpicuè, perfectè tradant, & ubiq; artis fundamenta oſtendant. Tertiò indefeſſi, qui non oratione ſolùm, ſed exemplo quoq; proprio erudiant, ipſi pingant, ac ad operis ſpectaculum diſcipulos admittant, imitantes obſervent, vitia melioribus lineis emendent. Quo pertinet, quod ait Gregorius Nazianzenus: *non*

tam ſermone, quàm manu pictor docet. Item Dio Chryſoſtomus : *Pictoribus non ſatis eſt dicere, tales oportet eſſe colores, ſed maxima eſt utilitas, ſi quis eos pingentes cernat.* Atq; tales quidem olim vix putati poſſe ſatis pro tam nobili egregiáq; arte à diſcipulis exigere. Memoratq; Plinius Eupompum, qui à ſingulis accipiebat talentum. Verba ejus lib. XXXV. c. 10 : *Docuit neminem minoris talento annis decem, quam mercedem & Apelles, & Melanthius ei dedere.* Putat Budæus, quia ſit exigua hæc ſumma, ſi cum tabularum conferatur preciis, legendum, talentis annuis decem. Verùm juvat lectionem vulgatam Plutarchus, quando de Apelle in Areto; Sicyonem (ubi Eupompus ille vivebat, unà cum Pamphylo & Melantho, quos Plutarchus quoq; nominat) ſe *contuliſſe, καὶ συγγενέσθαι τοῖς ἀνδράσιν ἐπὶ ταλάντῳ, & cum iis converſatum eſſe viris talenti mercede.* Sanè cùm talentum faciat ſexcentos tantùm philippeos, id eſt, ſeptingentos viginti circiter imperiales, mirum videri poſſit, cur, ſi ea ſumma omnem docuerit artem, Plinius prodiderit, velut admirabilem. Neq; ſcio, annon ea ſit verborum ejus mens, exegiſſe talentum annis ſingulis, ne-

minem

minem velut cuncta edoctum à ſe dimiſiſſe ante decenniū, ut ſic tota ars conſtiterit talentis decem; quæ faciunt ſex millia philippeorum, id eſt ſeptem millia imperialium cum ducentis, quæ profectò admirabilis eſt ſumma.

§. 67. Sequitur exercitatio, ad quam opus primùm exemplorum optimorum inſpectio, deinde propria eorum imitatio. Exempla ſunt duplicia, quædam ab artificibus formata, quædam à natura ſuppedidata.

Illa voco, pertiſſimorum optimorumq; magiſtrorum opera, quæ adſpicere frequenter conſiderareq; etiam apud veteres in uſu fuit, Fab. X c. 2: *Pictores opera primùm in exemplum intuentur.* Itaq; & Theon meminit, negatq; hoc ſufficere ad artem picturæ. *Studioſis*, ait, *nil profuerit, adſpexiſſe Apellis, Protogenis & Antiphili tabulas, niſi & ipſi pingere tentarint.* Apellis & Protogenis tabulas ait, quibus liquet, qualium magiſtrorum operibus uſi ad hanc rem conſueverint: optimorum ſc. ac præſtantiſſimorum. Hinc Plin. lib. XXXV. c. 13. de Parrhaſio:

 Multa

Multa graphidis veſtigia extant in tabulis ac membranis ejus, ex quibus proficere dicuntur artifices. Pro qualibus habentur inter recentes Raphael Urbinas, Michaël Angelus, Albertus Durerus. Jo. Sebaldus Bohæmus, Lucas Leidenſis, Aldegravius, Lucas Cranacherus, Goltzius, Rubenius & ſimiles. In quibus ipſis tamen animadvertendum, quod alio quoq; loco monui, alium hac, aliam illâ parte maximè valuiſſe. Ac idcircò æſtimari præ cæteris oportere. Ita Raphaëli gratiam tribuunt inventionemq;, Dureri commendant homines, Tempeſti equos, Prugelij opſonia, Baſſani noctes, Hemskerkij ædificia, Sadlæri icones, Veldæ regiones, quod cum cura obſervandum. Noſcebantur autem veterum artificum picturæ cùm ex arte ipſa, tum ex nomine, quod quisq; picturæ ſuæ ſolebat adſcribere. Hinc Plinius lib. XXXV. c. 5: *Senis ſupra caput tabula biga dependet. Nicias ſcripſit, ſe inuſiſſe.* Hoc vult, in dependenda illa tabula ſcripſiſſe Niciam pictorem, ſe coloribus inuſtis eam pinxiſſe. Ita paulò pòſt de alia pictura idem: *Philochares hoc ſuum opus eſſe teſtatus eſt.* Erat autem formula ſolennis, hic illevè FACIEBAT, per modeſtiam, & velut

velut adhuc imperfectum eſſet opus. Tres autem tabulæ inventæ, in quibus ſcriptum, FECIT. Plinius in præfatione Hiſt. Nat: *Pingendi conditores abſoluta opera, & illa quoq́, quæ mirando non ſatiamur, pendenti titulo inſcripſerunt, ut APELLES FACIEBAT, aut POLYCLETUS, tanquam inchoatâ ſemper & imperfectâ arte, ut contra judiciorum varietates ſupereſſet artifici regreſſus ad veniam, velut emendatum quicquid deſideretur, ſi non eſſet interceptus. Quare plenum verecundiæ illud eſt, quòd omnia opera tanquam noviſſima inſcripſere, & tanquam ſingulis fato adempti. Tria, non ampliùs, ut opinor, abſolutè traduntur inſcripta, ILLE FECIT, quæ ſuis locis reddam. Quo apparuit ſummam artis ſecuritatem auctori placuiſſe.* Cùm verò nullius unquam ita artem hanc perfecerit ingenium, ut non quotidie addi poſſint plura, ſicut Plato quoq; auctor eſt in de legibus VI. Ideò ad ipſam tandem veniendum eſt naturam, optimam ac perfectiſſimam magiſtram, & ex ea capienda exempla. Quo reſpexit Eupompus, quando interroganti, *quem ſequeretur antecedentium, reſpondit, naturam ipſam, non artificem imitandum.* Plin. XXXIV. c. 5. Verùm quia hoc difficile, nec haberi ſemper poteſt, ideò imagines

magines ſtatuæ vel ex vivis, vel ad vivum formatæ nobis ſunt parandæ, quas ſequamur. Atq; ita Leoni de Albertis viſum, *ſi*, inquit, *juvat opera aliorum ſequi, quòd ea firmiorem, quàm viventes, patientiam ad ſe oſtendendum præſtant, malo mediocriter ſculptam, quàm egregiè pictam rem imitandam proponas. Nam ex pictis rebus ſolùm ad aliquam ſimilitudinem referendam manus adſuefaciamus, ex rebus verò ſculptis & ſimilitudinem, & vera lumina deducere diſcimus.* Præfert ſtatuas imaginesq; iſtiusmodi etiam optimis picturis, nempè ſi jam eo usq; quis progreſſus ſit, ut ex picturis imitari, & adſimulare aliquid ſe adſuefecerit. Nam aliâs quis puero rerumque ac artis omnis rudi talia proponat? Quamquam & de ſtatuis rebusvè non mediocriter, verùm optimè ſculptis mallem hîc fuiſſe locutum, cùm exemplum omne, quod cum utilitate ſequamur, debeat eſſe optimum ac perfectiſſimum. Quo fine ego quidem non tam ſculptas, quàm ex gypſo fuſas ad vivum imagines commendarem. Quarum conficiendarum rationem Pomponius Gauricus in de Sculptura prodit iſtam: *Gypſum decoquitur furno lentè calido, teritur pilis ligneis, excribraturq;. Statim ut*

tepe-

tepeſcente aquâ maduerit, ſuper infunditur rei, cujus fieri forma debet. Non tamen niſi priùs oleo illita, & minùs ſemicirculo fuerit occupata. Nam primùm hoc deinde illum efformanus, quoad integram rem habebimus. Continebunt autem ſe fruſtula firmius, ſi, quod erat prius excavatum, inveniatur à poſteriore ut in commiſſuris. Sunt hæc ipſa Gaurici verba; niſi quòd pauca quædam, quæ ipſe aliter, quàm ſentiebat, & rem poſtulare, uſu edocti ſciebamus, ſcripſit, emendaverimus. Porrò formæ iſtiusmodi poſteà vel cera infunditur, vel plumbum, vel ſulphur, vel gypſum, & ſic ſtatua, vel alterius cujuslibet rei imago formatur. Videturq; primus artis hujus auctor Lyſiſtratus Sicyonius fuiſſe apud veteres. De ipſo enim Plinius lib. XXXVI. c. 24: *Hominis imaginem gypſo è facie ipſa primus omnium expreſſit, ceraq; in eam formam gypſi infusâ emendare inſtituit Lyſiſtratus Sicyonius frater Lyſippi.* Poſt harum deniq; accuratam delineationem & ex ea comparatam naturæ proditorumq; ab ea lineamentorum, lucis, umbræ notitiam, veniendum ad inventiones proprias, & imaginatione idoneâ in mente formanda exempla, quæ picturis exprimantur.

§. 68.

§. 68. Imitatio requirit primùm, ut delineare omnia diſcamus, mox ut lumen umbramq; reddere, ac deniq; ut colorare. Delineatio eſt ſumma lineamentorum omnium deſcriptio.

Eſt delineere *teknen* Batavis, Germanis *reiſſen*, quorum illud *notare*, aut *ſignare*, hoc *ſulcos quaſi ducere* ſignificat, & conſiſtit in exacta rerum pingendarum definitione. Itaq; ab hac initium eſt faciendum. Sanè qui hac parte pollent, facilè conſequuntur reliqua. Quare præſtantiſſimi artifices nonnulli intra ſolam hanc ſe continere conſueverunt.

§. 69. Primum autem lineas ducere rectas, curvas, circulares, ovales, & id genus liberâ manu oportet.

Scilicet ex his pictura omnis conſtat, nec magis ſine iſtis imagines, quàm ſine literis voces deſcribuntur. Debent autem liberâ fieri manu, hoc eſt absq; inſtrumentis mathematicis, ne aſſueta talibus, fiat tarda & difficilis, & ejusmodi ſubſidiis addicta, qualia in multis haberi nulla poſſunt.

Idq;

Idq; obſervandũ, ſive dextrâ pingas manu, ſive lævâ. Fuerunt enim, qui hac mallent. Quorum primus Romæ fuit Turpilius Plin. lib. XXXV. c. 4, de eo loquens: *Lævâ is manu pinxit, quòd de nullo ante memoratur.* Vidimus nos quoq; Georgium Dicterlin Argentoratenſem, lævâ pingentem optimè. Ne verò tædioſa ſit linearum ſimplicium deſcriptio, imagines proponi poſſunt iſtiusmodi rerum, quæ ad eas proximè accedunt, ejusmodi ſunt imagines trifolij, pyramidis, ovorum, teſſerarum, conorum, florum Trinitatis, lilij, tulipæ, ac hujusmodi.

§. 70. *Mox ſequuntur partes humanæ, oculi, aures, naſus, os, manus, pedes.*

Ita etiam Baptiſta præcipit lib. III. de Pict. & Voſſius in Graphice. c. 31. Pertinet huc aliquo modo, quod habet Julius Solinus. c. 1: *Qui corporum formas æmulantur, poſtpoſitis, quæ reliqua ſunt, ante omnia effigiant modum capitis, nec in alia membra priùs lineas deſtinant.* Et quod Quintilianus lib. III. c. 9: *Incipiendum ab iis, quæ prima ſunt. Nam nec pingere quisquam cœpit à pedibus.* Licet enim uterq; non de primis exercitiis, ſed

arte

arte ipsâ loquatur, quia tamen magiſter etiam inde opus ſuum auſpicatur, ante omnia inſtructum eo eſſe oportere patet. Fieri autem hoc nequit, niſi partibus prius benè notis, cùm ad totum niſi per partes pervenire nequeat. Inveniuntur autem hodieq; editi in hunc finem non inutiles libelli, qualis eſt Hub. Golczij niſi fallor, itemq; Calotti. Etiam ante paucos annos publicavit de la Bella unum valde utilem idoneumq;.

§. 71. *Poſtea jungantur partes iſtæ inter ſe, fientq; integri vultus, adſpicientes, ſuſpicientes, reſpicientes.*

Quod qua ratione quibusq; ex regulis ac obſervationibus ſit faciendum, egregiè, ſi quis alius, Sebaldus Bohæmus demonſtravit libello peculiari hac de re. Sumit faciem obliquè pictam, eamq; ſive premit deorſum, ſive attollit ſurſum pro arbitrio, deindè lineis rectis ſpatia & diſtantias, cujusq; partis à ſe mutuò notat, & ſic invenit, quousq; unaquævis in deſpiciente aut ſuſpiciente facie pertingat.

§. 72.

§. 72. *Deinde integra pingantur corpora, primùm recta & ſimplicia, mox in varios habitus formata, ut inclinantia, reclinantia, euntia, currentia, ſedentia, jacentia, & ſimilia.*

De qua inclinatione corporum variaq; habitûs mutatione inter alia, & à Durero actum ſingulari libello, ut Geſnerus annotavit, qui ejus titulum, de varietate figurarum & flexuris partium ac geſtibus imaginum facit. Ipſum hactenus non contigit videre. Nec inutilis eſt Henricus quidam Lautenſakius, qui & ipſe hoc egit peculiari opuſculo, & ex anatomicis, ſceletisq; corporum humanorum demonſtrat. Quamquam ut in aliis ejus libri, ſic & in his Durerum ſecutus mihi videatur. Cæterum à rectis imaginibus & veteres incepiſſe videntur Certè poſteà obliquæ demum excogitatæ, auctore Cimone Cleonæo. Plin. de eo lib. XXXV. c. 8: *Hic catagrapha invenit, hoc eſt, obliquas imagines.* Sunt *imagines obliquæ,* quæ à latere cernuntur, ſicut *recta*, quæ à fronte. De obliquis diſcimus ex eodem c. 10. quando ſcribit, Apellem, Antigoni

O regis

regis imaginem altero lumine orbatam, *obliquam feciſſe, tantumq́ eam partem è facie oſtendiſſe, quàm totam poterat oſtendere.* Non poteſt hîc obliqua aliter intelligi, quàm ut dixi. Quæ proindè Græcè *catagraphon* ſignificabit. Fabius de eadem re lib. II. c. 13: *Apelles imaginem Antigoni latere tantùm altero oſtendit, ut amiſſi oculi deformitas lateret.* Docet apertè catagraphon dici, cujus alterum tantùm latus cernitur. Contrà rectas eſſe, quæ cernuntur à fronte, docet Fabius, cùm ait: *recti corporis minima gratia eſt, nempè enim adverſa ſit facies.* Dicit, minimam his gratiam ineſſe, credo, ſicut priſcis pingi temporibus ſolebant. Nam aliàs plus difficultatis habent, ſi accedere debent motus. Maximè verò hoc difficile in quadrupedibus, quas ſic pingere primus Pauſias inſtituit. Plin. XXXV. c. 11. de eo: *cùm longitudinem bovis oſtendere vellet, adverſum eum pinxit, non tranſverſum, undè & abundè intelligitur amplitudo.*

§. 73. *Quod ſi quis in corpore humano rectè delineando fuerit verſatus, in cæteris difficultas nulla erit.*

Nimi-

Nimirum ad exemplum hujus formari poſſunt cætera, cùm ad humanum modum ferè cætera examinentur, atq; ex convenientia cum homine dijudicentur. Itaq; & Tullius de oratore II: *In pictura qui hominis ſpeciem pingere perdidicit, poterit etiam cujusvis vel formæ vel ætatis, etiamſi non didicerit, pingere, neq; eſt periculum, qui leonem aut taurum pinget egregiè, ne idem in multis aliis quadrupedibus facere non poſſit.*

§. 74. *Poſtquàm ſumma formare didicimus lineamenta, umbras quoq; addere diſcamus.*

Id quod fit ratione duplici, per lineas intùs ſparſas, aut colorem cujuscunq; generis, quibus modus umbrarum deſcribatur. Prius proprium eſt picturis linearibus, poſterius, monocromatis, de quibus antè dictum. Illud pennâ fit plerumq;, ac eſt difficilius, hoc penicillo, aut colore ſicco, & eſt levius. Itaq; in illo quidem multum temporis inſumi forſan haud neceſſe eſt pictori futuro, magis neceſſe chalcographo, aut ſculptori, qui æri lignovè imagines incidit. Habet enim varias multipliceſq; ob-

ſervationes in ducendis lineis, aliasq; aliis ſuperſcribendis, ut extantia omnia videantur, & rotunda. Quarum una poteſt eſſe generalis, & ex qua cæteræ oriantur, nimirum, ut ad ſitum corporis, concavitatem aut extantiam accommodentur. Nam ſi hoc non obſervetur, ſæpè ſolâ umbrarum iſtiusmodi diverſitate ex iisdem lineamentis aliæ res poſſunt fieri, atq; ſic immanè quantum à natura rerum pingendarum aberrari. Obvia exempla ſunt in pictoribus ineptis ac ſculptoribus, & meliùs in imaginibus, quàm verbis exponuntur. Ergò cùm multiplicem hæc res requirat curam, præſertim ſi quid fieri ex ingenio neceſſe êſt, prætereà infinitam penè poſtulet exercitationem, temporisq; ſpatium non minimum, melius alterum fuerit genus. Fit autem vel ſiccis coloribus, ut cretâ nigrâ, rubricâ, plumbagine, quæ verſus lucem penecillo hebeti, duro ac ſicco, vel fruſtulo lanæ coactæ, qualis eſt in pileis noſtris, ad modum penicilli baculo affixo, in mucronem deſinente deteruntur, ut paulatim tranſeant in album. Vel madidis, ut fuligine, indico, terrâ Colonienſi, ac ſimilibus, verſus lucem penicillo alio, ſolâ & purâ hume-

humefacto aquâ, dilutis, ut ſic duplex requiratur penicillus, alius ad colorandum, alius ad diluendum extergendumq; appictum colorem verſus lucem, à qua re negotium univerſum *vvaſchen* dici ab Hollandis ſolet. Fuitq; admodum laudatum genus hoc etiam apud antiquos, cùm jam pictura floreret, undè Fab. lib. 12. c. 10, de Polygnoto & Aglophone loquens: *Simplex eorum color tam ſui ſtudioſos adhuc habet, ut illa propè rudia ac velut futuræ mox artis primordia maximis, qui poſt eos extiterunt auctoribus præferantur, proprio quodam intelligendi, ut mea fert opinio, ambitu.* Dicit Fabius fuiſſe, qui hoc genus picturarum in ſummo pretio haberent, ac veluti per hoc ambirent laudem propriæ ac ſingularis alicujus intelligentiæ, quando per ſimplicitatem ſuam paucis aliàs eſſet gratum aut amabile. Itaq; is quidem integer eſt locus, neq; aſteriſco aliquo notandus, ut in Pareana, quæ Londini prodiit, factum eſt editione. Quamquam qui à Fabio notantur iſtis verbis, fortè non meruerint, cùm reverâ ſit in hac ſimplicitate etiam, quod oculos eruditos contra omnem vulgi ſenſum miro modo teneat.

§. 75. *Sequatur deindè luminis adjectio, colore diverſo.*

Ratio hujus partis eſt diverſa à priori plurimùm. Nam illâ utimur in charta vulgari, aut membrana, hac non niſi in colorata. Qualis ſolet fieri vel ab illis, qui papyrum fabricant, adjectione indici coloris, vel à pictoribus curari, chartâ madefactâ ſuſpenſaq; in fumo, undè color flavus oritur, aut deniq; quoquo modo pictâ colore pro arbitrio. Debet autem delineata in ejusmodi papyro figura primùm juſtis umbris impleri, ratione prædictâ, mox colore alio in ſummitate lucis illuſtrari, qui rem faciat extare. Soletq; ferè eligi ad lucem & extantiam formandam ille color, qui papyro eſt conveniens, niſi quòd in omnibus adhiberi albus poſſit. Porrò qui in hujusmodi verſatus benè fuerit, quantum attinet ad artem illiusq; regulas & fundamenta, omnia obtinuit. Convenit Baptiſta lib. de Pict. II: *Sanè ad gratiam & leporem picturæ affirmo copiam colorum & varietatem plurimùm valere, ſed ſic velim pictores eruditi exiſtiment, ſummam induſtriam, atq; artem in albo tantùm,*

& nigro

& nigro diſponendo verſari, inq; his duobus locandis omne ingenium & diligentiam conſumendam.

§. 76. Colorum ad poſtremum omnium adhiberi varietas idonea poteſt.

Nec eſt alia eorum ratio, quàm prædictorum: niſi quòd pro uno tantùm & altero colore, omnes rebus propoſitis convenientes adhibeantur. Debebimus tamen dare operam, ut rebus omnibus, quibus quemcunq; inducere deniq; colorem volumus, eum non inducamus ſimplicem & purum, ſed vel albo nonnullo, vel alio vicino, ſed lucidiore colore mixtum, niſi fortè multâ aquâ fuerit dilutus. Nam qui hoc non fecerit, ægrè vigorem coloribus præſtabit, nec habebit, undè ſatis commodas faciat umbras. Nec pingue nimiùm, aut craſsè induci colores debent, maximè cum coloribus aquâ temperatis pingitur. Quod ſi quædam in his inæqualitas exiſtat, quæ pingenti moleſta eſt, & picturam aſperitate fœdat, levigatione tolli poterit, ſi benè ſiccata imponatur tabulæ levisſimæ, teraturq; dente bubulo, interpoſitâ chartâ. Solet

quoq; in hoc genere colorum aquâ temp[e]-ratorum evenire, ut propter propriam pi[n]-guedinem aut copiam lacrymæ Arabi[c]æ difficulter illinantur. Quod emendari p[o]-terit admixtâ bilis guttâ unâ alteravè ex p[i]ſcibus.

§. 77. *Cæterùm in omni opere bujusm[o]di utile fuerit initium à picturis grandioribus facere.*

Præterquam enim quòd minutæ illæ viſum celeriter debilitant, etiam quid rectè ſecusvè factum ſit, non evidenter ſatis demonſtrant. Atq; ita olim apud veteres præcepit Nicias, de quo Demet. Phaler. p. 76: *Nicias pictor & hoc ſtatim dixit eſſe pingendi artis non parvam partem, ut cùm cœpiſſet materiam ſatis grandem pingeret, non conciderat artem in parves res.* Et ex recentioribus Leo Baptiſta lib. III: *Cavendum ne, quod pleriq; faciunt, minutis tabellis pingamus. Grandibus enim imaginibus te velim aſſuefacias, quæ quidem quàm proximè magnitudine ad id, quod velis efficere, accedant. Nam in parvis ſimulachris maxima vitia maximè latent. In magna effigie etiam minimi errores conſpiciendi ſunt.*

§. 78.

§. 78. Deindè frequenter, atq; adeò quotidiè ſe exercere.

Ad exemplum Apellis, quem quotidiè, ſi nihil aliud, lineam certè duxiſſe, pluſculi ſunt auctores, ne nimirum deſueſceret illius certitudinis habilitatisq;, ad quam uſu longo pervenerat. Plin. XXXV. c. 4: *Perpetua Apellis fuit conſuetudo, nunquam tam occupatum diem agendi, ut non lineam ducendo exerceret artem, idq; ab eo in proverbium venit.* Sanè majus hac in re momentum eſt, quàm vulgus credit. Neq; usquam artis facilitatem quisquam abſq; ea conſequetur.

§. 79. In omnibus adhibere curam atq; diligentiam, abſq; multa feſtinatione.

Nam ſi ulla alia in re, in hac profectò feſtinatio damnoſa. Plutarchus in Pericle: *Memorant, cùm gloriantem pictorem Agatharchem, qui citò & facilè pingeret imagines, audiviſſet, Zeuxis dixiſſe: ego verò longo tempore. Dexteritas enim in faciendo, & acceleratio non addit pondus operi durabile. Neq; abſolutum decorem. Tempus verò ad producendum laborem*

conjunctum robur addit ad operis conſervationem. Eſt huic ſimile Apellis dictum ad gloriantem ſeſe ob celeritatem, ſimulq; monſtrantem tabulam, quam illo die confeciſſet; ſe id vel ex opere videre, ut eidem alio loco memoratum. Inveniuntur tamen hujusmodi quidam à natura facti ad celeritatem, nec ideò deteriores cæteris. Quomodo de Lala Cyzicena Plin. teſtatur lib. XXXV. c. 11: *Quod nullius velocior in pictura manus fuerit.* Simile quid prodit etiam de Nicomacho c. 10. ejuſce libri: *Non fuit alius in ea arte velocior. Tradunt namq; conduxiſſe pingendum ab Ariſtrato Sicyoniorum Tyranno, quod is faciebat. Teleſti Poëtæ monomentum, præfinito die, intra quem perageretur, nec multò antè veniſſe, tyranno in pœnam accenſo, paucisq; diebus abſolviſſe celeritate & arte mirâ.* Sed hi vulgò minimè imitandi, adde quòd ex his nonnulli compendia quædam tenuerint, de quibus nobis nihil conſtat. Nam de Philoxemo Eretrio, diſcipulo Nicomachi prædicti clarè idem auctor: *Celeritatem præceptoris ſecutus, breviores etiamnum picturæ vias quaſdam & compendiarias invenit.* Vides per compendia, & breves quaſdam vias artis, utrumq; celeritatem eſſe conſecutum. §. 80.

§. 80. *Iudicia varia cum modeſtia requirere, ac ne imperitorum quidem penitùs contemnere.*

Utut enim artis ſecreta non intelligant, ſentiunt tamen quid naturam referat, quid non referat. Hinc vetus trochaius: *Judicare de pictura vel queunt rudiſſimi.* Quam ob cauſam ne Apelles quidem vulgi judicium eſt aſpernatus, imò ab hominibus ad equos provocavit, cùm prævalere adverſarium, aut ſupinitate quadam judicum, aut malignitate animadverteret. Ac profectò diligentior quandoq; talium fideliorq; judex vulgus, quàm ſunt ipſi artifices, quia ſive odio, ſive amore artis cuncta reprehendunt. Cic. offic. lib. Pictores, & quæ ſigna fabricant, ſuum quiſq; opus à vulgo conſiderari vult, iiq; & ſecum, & cum aliis, quid in eo peccati, exquirunt.

§. 81. *Nec inutile fuerit, picturas ſpeculis opponere, & ex ipſis vitioſa notare.*

Res hæc non exigui momenti, uti ſciunt egregij artifices, præcepitq; Cardanus etiam

tiam de Sept. lib. IV. *Speculo*, ait, *pictur probandæ ſunt. Nam ſpeculum cùm everſas re oſtendat, multa quæ jam latuerant detegit; u enim ordo multa abſcondit: ita contrariâ ration ſpeculum detegit mendas converſo ordine priore ob quem placebat pictura.* Nam quando *bre viores etiamnum* ait Plinius, etiam Nicoma chum ſciviſſe breves vias aliquas teſtatur Ac fortaſſis ante hunc utrumq; tenuerun etiam Ægyptij, de quibus Petronius: *Pictu ram non alium exitum fecit, poſtquam Ægyptio rum audacia tam magnæ artis compendiariam invenit.* Non videtur alia *compendiaria ma gnæ artis*, quàm picturæ via *compendiaria & brevis*, ſicut Plinius vocabat. Verùm qua ſit illa ars compendiaria Ægyptiorum, Bar thius ſciri negat, & iccircò pro *Ægyptiorum gypticorum* putat hic legendum, ut intelli gantur *effigies ſculptæ metallo & inductis colo ribus deindè expreſſa.* Quod nos gratis dici arbitramur, qui expreſſioris iſtiusmodi nul lum penitùs apud veteres exſtare novimus veſtigium. Sed nec Fonſecæ poſſumus am plecti expoſitionem Gonſalo prolatam, qui de veſtium pictura loqui putat Arbitrum, quam deſcribit Plin. XXXV. c. 11. Nam nec compendiaria pictura illa dicitur, & eſt ve-

ſtium

ſtium, non tabularum, de qua tamen Arbitrum intelligendum docet vel hoc ſolùm, quod appellat *magnâ artem*, & cum eloquentia poëſiq; jungit. Speciosius videtur, quod proponit Gonſalus, compendiariam viam diſcendi, non pingendi hîc intelligendam. Quamquam cùm corruptam per compendiariam illam Arbiter teſtetur pictoriam, aliam compendiariam intellexiſſe credam, cùm qui artem diſcit, ſivè longo tempore, ſive per compendium hoc faciat, ſi modò diſcat, artem teneat, non corrumpat. At compendiaria Ægyptiorum artem veterem corrumpit.

§. 82. *Anxietatem tamen nimiamq́; diligentiam oportet evitare.*

Nempè & per ipſam veritas corrumpitur. Plin. lib. XXXV. c. 10. de Ariſtide, qui ſpumam pinxerat in ore canis, ſibi ipſi diſplicentem: *diſplicebat ars ipſa, nec minui poterat, & videbatur nimia ac longiùs à veritate diſcedere, ſpumaq́; illa pingi, non ex ore naſci.*

§. 83. *Non nimium ſibi ipſi fidere vel placere, ſed examinare cuncta ſine ſtudio vel ira.*

Quæ

Quæ fuit Zeuxidi ingenuitas, de quo Plin. certamen ejus cum Parrhaſio deſcribens, qui linteum pinxerat; quod Zeuxes ipſe putabat eſſe verum: *intellecto errore conceſſit palmam ingenuo pudore.* Et mox de eodem judicium ferente de pictura propria: *Fertur & poſteà pinxiſſe puerum uvas ferentem, ad quas cùm advolaſſent aves, eadem ingenuitate proceſſit iratus operi, & dixit: uvas meliùs pinxi quàm puerum: nam ſi & hoc conſummaſſem, aves timere debuerant.* Similis fuit ingenuitas Apellis, eodem auctore: *Fuit*, ait, *non minoris ſimplicitatis, quàm artis. Non cedebat Amphioni de diſpoſitione, Aſclepiodoro de menſuris.*

§. 84. *Ea quæ jure culpantur, ſtudioſè emendare.*

Quia ſine emendatione fruſtrà dantur vel accipiuntur judices. Hinc ne Apellem quidem ipſum puduit, quæ circa crepidam ſutor obſervevarat, immutare, ut à Plinio eſt memoratum.

§. 85. *Poſtremùm eſt, optima & perfectiſſima hujus artis meditari, nec ad mediocria, ſed ſumma eniti.*

Fruſtrà

Fruſtrà enim quærimus, quod conſecuturos nos deſperamus. Itaq; in omnibus ſpe bonâ opus, quæ nos impellat audere aliquid, & niti contra difficilia, eaq;, quæ fieri poſſe non videntur. Plinij eſt dictum lib. XXXIV. c. 7. de hac arte: *Evectam ſupra humanam fidem ſucceſſu & audaciâ.* Quam proindè qui cum ratione ac judicio adhibebit, haud falletur, ſed perveniet ad ſummam quandam, atq; abſolutam ejus laudem. Faciebant huc certamina, quæ apud veteres in uſu erant inter pictores. Cæperunt ea Panæi vel Panæni temporibus, qui frater Phidiæ, ac Miltiadi æqualis fuit, in publico totius Græciæ conventibus Corinthi atq; Delphis, Plinius lib. XXXV. c. 9: *Quin imò certamen picturæ etiam florente eo (Panæno) inſtitutum eſt Corinthi ac Delphis: primusq; omnium certavit, cum Timagora Chalaidenſe, ſuperatus ab eo Pythis.*

JO. NIEU-

JO. NIEUHOVIUS
in Legat. Batav. ad Imp. Sinicum,
Part. ult. cap. 3. de Pictura Sinenſium.

P*ICturæ perſtudioſi ſunt, ſed Europæo- rum pulchritudinem haudquaquam aſſe- quuntur : nam neq;* umbras exprimere *no- runt, neq; colores* oleo temperare : *unde eorum picturæ quaſi* emortuæ *&* pallidæ *exiſtunt, quanquam* colores omnium vivaciſſimos *ha- beant, quibus herbas & aves ad vivum, nos non acu & opere Phrygionio æmulantur. Parietes & laquearia cubiculorum ſuorum hominibus & be- ſtiis exornant, templa ſtatuis ex ære fuſis implent. In* ſtatuaria *&* fuſoria *admodum rudes viden- tur ; quippe omnia* oculo dimetientes, *unde* crebri errores, *& in* magnis *corporibus* ex- travagantiæ. *Monſtra tamen ex ære, marmo- re, figlina horribili forma ad idololatriam conficiunt.* G. Hornio inter- prete.

INDE

INDEX
rerum ac verborum.

A.

A*Riſtides* duo, *pictores Thebani.* 143

B.

A*Babylonicæ veſtes.* 47 *v.* Barbaricæ.
Barbaricæ *veſtes eædem quæ* Babylonicæ. 44
Barbaricarii. *ibid.*

C.

Catagraphon. 209
Ceſtrum. 56
Circulares res quomodo pingendæ. 131
Clypei picti. 86
Color quid? 155. *ejus uſum* quis primus *excogitarit.* 156. *colores propriè dicuntur tabulis* induci, *rariùs* illini. 63. *quomodo inducendi.* 215. *ſunt vel* nativi *vel* factitii. 157. (*nativi.* 169. *factitii.* 170. & *ſeqq.*) *ſimplices vel mixti.* 158. ſimplices *ſunt tantùm* tres; rubei. 166. cœrulei. 168. flavi. 167. *quibus adjiciendi, ut lucis umbraq; indices*, albi. 164. nigri. 165. *mixti ſunt complures, iique vel* principales, *vel* ſecundarii. 162. *ſedulò* terendi. 182. *quomodo* ſervandi. 184. *Colorum* languor & vigor. 138. *preparatio eſt* duplex; *ſunt enim vel* ſicci *vel* madidi: *ſicci vel* lanis, *vel* gypſo. 177. *madidi, vel* oleo *vel* aquâ. 179. *quæaqua, vel* glutine

P *tem-*

temperatur, vel arborum lacrymâ Arabicâ. 181. *colorum uſus eſt, ut rectè* miſceantur. 186. *decenter* diſponantur. 187. *aptè* committantur. 188. *lucidiores* parciùs *adhibeantur*. 189. ſplendoris ratio *idonea habeatur*. 191. juſtâ quantitate *tabulæ inducantur*. 192. *v. Pictura*.

D.

Damaſcenæ *veſtes*. 48
Delineatio quid? 206. *debet fieri* manu liberâ. *ibid.* *à quibus rebus* inchoanda. 207

E.

Empeſtice. 50
Encauſtica pingendi ratio. 54

F.

Falſatio. 139

G.

Geometriæ neceſſitas *in pictore*. 123
Gluten quomodo conficiatur. 181
Γϱάφειν, graben. 1. *item* pingere: *unde* graphice, *ars pictoria*. 3. graphis, *pictura linearis*. 65. *differt* à ſciagraphiâ. 67
Grylli. 104
Gypſum ad fundendas imagines quomodo præparetur. 204

H.

Hiſtoria per picturas propagata. 18

I.

Imago pro picturâ. 17. *imagines* rectæ, obliquæ. 209
Indicus color. 77

L.

Lignarii quomodo pingant. 53
Linea in picturis. 7. primæ *linea*, ultima *linea*. 8. *lineas* ducere. 10. liniare, liniamentum. 9. 69
Lithoſtrata. 51
Luminis & umbra uſus *in picturâ.* 133. *à* luminè *diverſus* ſplendor. 137. *luminis adjectio in picturâ.* 214

M.

Mahl/mahlen/Mahlerey. 4
Memoria adjumentum *per picturas.* 23
Monochromata. 73
Monogrammon. 8. 68
Muſivaria opera. 51

P.

Penicilli. 94. *eorum* conficiendorum *ratio.* 95
Phrygiorum ars. 42
Pictoria quid. 5. ars *nuncupatur.* 6. *cujus proprium exhibere* ſimilitudinem *rerum* in plano. *ibid. inventa* in Oriente, *à* Chaldæis *&* Aegyptiis. 11. *inde ad* Phœnices, *ab his ad* Græcos *trâslata.* 14. *ſtatuariâ* antiquior. 12. *idololatria auctor.* 13. *non viris magis quàm feminis convenit.* 31. in magno honore habita *tam ipſa quàm ejus cultores.* 32. *verſatur circa* naturalia *&* artificialia, *aut* naturæ *ſaltem* convenientia. 36. *ejus* finis *pictura ſive imago.* 15. 17. *eaque natura conveniens.* 16. uſus in *conſervatione rerum geſtarum ſive* hiſtoriâ. 18. *& aliis ſcientiis.* 22. *adjumento* memoriæ. 23. *formatione* morum. 25.

ejus ſumma jucunditas. 29. *forma multiplex*. 41. propriè *tamen* pingere *dicūtur, qui colores chartis tabulisve inducunt*. 62
in Pictore requiritur phantaſiæ vis *ad inveniendum*, & judicii *ad ordinandum*. 106. *rerum variarum* contemplatio. 108. vitæ *humanæ* uſus. *ibid. naturalium rerum* & Philoſophiæ cognitio. 109. *ſcientia* Geometriæ. 123. Opticæ & Scenographiæ. 129. Phyſiognomiæ, Ethologiæ, Characteſticæ, &c. 148. *ad conſequendam perfectionem in eo requiritur* natura idonea, informatio *fidelis*, & *aſſidua* exercitatio. 194. *ad naturam requiruntur iterum varia*. 195. *ad informationem*, magiſtri *vivi* & *mortui*. 198. *ad exercitationem* exemplorum (*quæ vel artificialia, vel naturalia*) inſpectio & *imitatio*. 114. 201. *Pictoris* viſum *rebus* virentibus *juvant*, *manus virgâ ſeu* bacillo. 97. *pictorum* alii *in iconibus*, alii *in hiſtoriis aliisve rebus* excellunt. 103. 202. *Pictor futurus à picturis* grandioribus initiū *faciat*. 216 *cotidiè ſe* exerceat. 217. *vitet* feſtinationem. *ibid.* & *diligentiam* nimiam. 221. judicia *ne* imperitorum *quidem contemnat*. 219. *picturas* ſpeculis *opponat. ibid.* ſibi *ipſi* non nimiū placeat. 222. *errata* emendet. *ibid.* *ad* ſumma *enitatur*. 223.
Pictura unde *dicta?* 2. quid *ſit?* 4. 15. *Pictura apud veteres* duo *genera fuere*, *dein* tria. 63. *alia* linearis *eſt*, *alia* colorata. 64. linearis *prima eſt* & antiquiſſima. 65. colorata *fit vel* illuminatione, *vel picturâ* plenâ. 71. *picturæ* plenæ *ſunt*

vel unius coloris vel plurium. 72. *illa dicuntur* monochromata *ibid. hæ, ab initio* quatuor *tantùm* coloribus *fiebant*. 78. *Picturæ* antiquæ *ruditas*. 68. *emendata* 70. *Pictura* materia *eſt vel* mobilis, *vel* fixa. 80. fixa, *in parietibus tectisq́. ibid.* mobilis, *eaq́, vel* uſitata, (*ut in tabulis*, 83. *non tantùm in privatis ædibus, ſed templis etiam & foro ſuſpenſis*. 84. *iisq́, vel ligneis*, 85. *vel æreis cupreisve*, 86. *vel plumbeis & eburneis, ibid. item in linteis, vel membranis*. 87.) *vel* fortuitò oblata, *ut in lateribus, pulvere, &c.* 88. *Picturæ* inſtrumenta *ſunt, quibus illa vel* ſuſtinetur, *ut pluteus, forma*. 89. *vel* conficitur, *ut carbones*, 90. *plumbago. penna*, 91. *creta, ceruſſa, penicillus*. 92. 94. *& apud Veteres, calamus & ſtylus ferreus*. 95. *Picturæ* requiſita octo. 98. *quorum primum*, argumentum, *idque duorum generum*. 100. *ſecundum*, delineatio. 110. *tertium*, proportio. 116. *quartum*, menſuratio. 123 *quintum*, lumen & umbra. 132. *ſextum*, motus. 141. *ſeptimum*, gratia. 149. *octavum*, color. 145. *Picturæ ſive tabulæ* publicè propoſitæ. 27. *ingenti* pretio *venditæ*. 34. obſcœnæ & impiæ *reprehenduntur*. 39. *Picturæ iconicæ*, contrafaits. 102. *Picturis* adſcribebant *autores ſua* nomina. 202. *adjecto verbo ſolenni, FACIEBAT vel FECIT*. 203

Pigmenta. 155

Pinmarii, radio *pingebant*, nõ acu. 45. *plumæ* quid? 46

Polymitarii. 46
Proportio ſive ſymmetria *membrorum.* 117. *diſcitur* ex Geometriâ, Aſtronomiâ, *&* corporum *pulcherrimorum inter ſe* collatione. 123. *ejus* regulæ. 120

R.

Ruber *color à veteribus in pingendo* præcipuè adhibitus. 76
Rugæ *veſtimentorum* quomodo *pingenda.* 146

S.

Scarabæi virides *ad acuendum* viſum *adhibiti.* 97
Scenographia. 130
Schmeltzen/ émailler. 61
Sciographia. 139
Scribere *i. e.* ſculpere. 2
Seydenſticker. 43
Splendor *in picturâ quid.* 137
Spongiæ uſus *apud pictores.* 96

T.

Tabulæ pro picturâ: *cretâ illitæ: earum* materia. 85 *v.* Pictura.
Tetrachromon. 193
Topiarium *opus quid.* 105
Turcica aulæa *quemodo conficiantur.* 49

V.

Virgatæ *veſtes quænam?* 46
Vitri colorandi *ars veteribus* ignota. 59
Umbrarum addendarum ratio. 211. *v.* Lumen.

Auto-

Autores emendati vel illuſtrati.

Ælianus explicatus. 40
Apulejus *emendatus.* 59
Cicero explicatus. 69
Dalecampii *error.* 69.161
Demontiosii *error.* 74
Ezechiel explicatus. 2. 76
Martialis explicatus. 45. 55
Petronius *emendatus.* 21.23.73. *defenſus.* 220
Plinius emendatus. 84. 93. *explicatus.* 54
59. 77. 90. 143. 200. 202. ejus *lectio in dubium* vocata. 13. 42. 127
Pollucis *interpres* notatus. 5
Quintilianus explicatus. 213
Vitruvius explicatus. 38. *lectio dubia* ejus. 130

Errata

Errata extantiora.

PAg.4.lin.19.lege *tungemähl*.7, 2. aut chartas. 9, 1. Sed & *omnibus*. 9. ult. ſic et.43,26. curiunt. 5 ?,12. Spartiano 54. 12. contectio. 20. *fictilibus*. 56,12. *reſolutis*. 74,2. Athenionis. 76, 19. *viros depictos*. 84, 19. *Hoſtilia*. 85, 20. nolebat. 88,7. el.10. 91,21. *miror*. 101, 20. *quanto*. 111 ult. La Bella. 112, 5. *includit*. 114, 16. paratius inſtructiusq́;. 110,12. Euphranor. 117. 19. ſequerentur. 119, 19. aliiq́;. 125, 3. quamque. 20. docet. 126, 24. Celebratur. 127, 18. *adde*: alia punctum reſpicigint. 130, 19. traxerint. 154, 14. quin. 21, *quæ*. 164, 16. agro. 184, 10. inſerto. 193, 22. *requiruntur*. 197, 7. natura. 203, 10. *emendaturo*. 206, 6. delineare. 208, 11. *fiantq́;*. 217, 12. unquam 220, 11. *Picturæ*. 223, 15. publicis. 20. *Chalcidenſe*.

XXXV
C
51

A01 1462677

[illegible] Google

Digitized by Google

BI